





Indices lectionum ...
Schulze, Wilhelm

INDICES

LECTIONVM

ET

PVBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE IN

ACADEMIA MARPVRGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVVM

INDE A D. XV. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI MDCCCXCIV

HABENDAE PROPONVNTVR.

Praemissa sunt GVILELMI SCHVLZE P. P. E. Orthographica.

MARPVRGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

ACADEMIAE MARPVRGENSIS

RECTOR CVM SENATV

COMMILITONIBVS DILECTISSIMIS

S. P. D.

I.

Conradus Megenbergensis in libro de rerum natura quem auctor tunc temporis canonici Ratisbonensis munere fungens annis 1349/50 conscripsit identidem mentionem iniecit morbi caduci s. comitialis quo correptos homines nomine vocat *epilenticorum*, cum ipsam passionem nuncupare soleat *epilenciam* [1]. 415, 10 *daz vallent lait, daz ze latein epilencia haizt*, 16 sq. *den hinvallenden, die epilentici haizent.* 148, 17 editor *epilensiam* dedit codicum scilicet usum in hac re variantem amplexus, quae forma, ut medii aevi homines latina vocabula efferre consuerant, sono nihil plane discrepabat ab altera illa *epilencia* [2]). Vocabulum quod nobis primum intuentibus foede corruptum videtur communi illorum saeculorum usu sanctum ne ab impressis quidem medicorum et physicorum libris abest, velut saepissime deprehendi in Orti sanitatis editione quae sermone utitur latino *epilentia* et *epilenticus* [3]). Quam fuerint hae formae volgatae omniumque gentium cum stirpis romanae tum

---

1) Das Buch der Natur von Konrad von Megenberg. Die erste Naturgeschichte in deutscher Sprache, herausgegeben von Fr. Pfeiffer. Cf. ind. 602 s. v.

2) E re visum est ex Erasmi dialogo de recta latini graecique sermonis pronuntiatione quae huc cummaxime faciunt apponere: In illis (sc. *Ceres cinis cynicus coelum caecus*) vulgus nostratium paene nihil discernit inter *c* et *s*, ut vix aures diiudicent, *coenae* dicas a *coena* an *sene* a *senex*, et utrum *silicem* pro lapide an *Cilicem* pro gente, *citum* a *cio* an *situm* pro *positum*. In *Sicilia* primae syllabae sonum aegre dignoscas a sono proximae. Qua quidem in re minus peccant Itali, praesertim Romani, qui tametsi non prorsus eodem modo sonant *c* ante vocales omnes, tamen ita pronuntiant ut manifesto discrimine dignoscas *c* literam ab *s*, linguam in latus dentium laevum intorquentes, cum sonant *Cicero Caesar* et *Cyrus*.

3) Utor exemplo (sine l. et a.) ex 'Monasterio SS. Stephani et Viti in Corbea' in bybliothecam Marpurgensem translato. Aliquot locos enotare utile fortasse est, de herbis cap. 8 H. 20 B. 58 A; de piscibus c. 38 B. 74 in fine; de lapidibus c. 14 H. Quibus facili opera permulti addentur. In Firmici Materni editione Basileensi anni 1551 (7, 27 p. 210, 3) *epilensia* legi testis est Georges Lexikon der lateinischen Wortformen s. v. *epilepsia* qui de errore sive librarii seu typographi videtur cogitare; eandem formam ipse inveni in Basileensi a. 1533. — Qui saeculo XIV o codicem Harleianum scripsit quo Apuleii de physiognomia liber continetur vocabula graeca miserrime corrupta recte explicavit supra lineam additis *epilemsia epilenticos*, Rose Anecd. I 122, 23. 123, 11 = Foerster Scriptores physiognomici II 45, 10. 46, 8.

germanicae consuetudine receptae optime illustrabunt allata lexicographorum testimonia qui volgarium linguarum thesauros condiderunt: nam *epilemcia epilemtic epilentic* habet Raynouardi 'Lexique roman ou dictionnaire de la langue des troubadours', *epilence epilentic* Godefroii 'Dictionnaire de l'ancienne langue française' et Littreii 'Dictionnaire de la langue française' qui saeculi decimi quinti testem excitat [1], neque Academiae Hispanae 'Nuevo Diccionario de la lengua Castellana' locum denegavit formis *epilencia epilentico* addita tamen nota qua nomina in desuetudinem nunc abiisse edocemur. Tacent quidem de his formis Italorum lexica nostra memoria composita, sed non item 'Vocabolario degli Academici della Crusca' qui sine nota *epilensia epilentico* admiserunt (ed. IV a. 1731). *epilencie* in ordinem receperunt etiam Verwijsii Verdamique 'Middelnederlansch Woordenboek' atque Schilleri et Luebbenii 'Mittelniederdeutsches Wörterbuch'. Viri docti quos ultimo memoravi loco formam *epilencie* enotatam habent ex calendario Rostochiae a. 1530 typis descripto. Ad quintum decimum usque saeculum omnibus qui artem medicam factitabant formas nasali adauctas quas et in Provincialium qui dicuntur Francogallorum Italorum Germanorum Hollandorum sermone quasi civitate donatas vidimus unice fuisse probatas certissimum est. At fieri potuit ut homines non inter libros vitam terentes negotiorumque turba distenti voces alienigenas corrumpendo ulterius progrederentur contra sermonis sinceritatem et elegantiam neglegentia peccantes atque doctorum umbratilium et artis grammaticae vindicum proculcantes praecepta recte loquendi. Sed tantum aberat ut grammatici more medii aevi docti ista vocabula tamquam corruptelam prae se ferentia aspernarentur, ut in vocabulariis glossariis dictionariis quorum tum maxime usus florebat nullae omnino aliae comparere videantur formae atque illae ipsae quas in medicorum arte solas fuisse usitatas modo cognovimus. Evolvamus studiorum grammaticorum subsidia litteraria quae tunc omnium manibus versata esse ingens per bybliothecas dispersa exemplorum multitudo indicat et sicubi locus paullo difficilior vel vocabulum parum intellectum legentibus moram facesseret adiri et consuli 'Obscuri Viri' in famosis epistularum libellis plus semel ipsi testificantur. In ipso prioris voluminis ingressu [2]) Thomas Langschneyderius baccalaurius theologiae formatus cum de vocabuli 'magistri nostri' in verbi formam transferendi recta ratione quaestio incidisset inter istos barbaros serio disceptata se frustra verbum 'nostrandi' — nam utrum 'magistrum nostrandum' oporteret dici an potius 'nostrum magistrandum' ambigebatur — circumspexisse asserit 'in vocabulario Ex quo, in Catholicon, Breviloquo, in Gemma gemmarum' [3]). His libris virorum qui nomen sibi ab humanitatis studiis tum renascentibus

1) Adde quod Cotgrave A dictionarie of the French and English tongues (Lond. 1611) exhibet: *epilence* A kind of falling evill in a Hawke. *epilepsie* The falling sickness or foule evill.

2) Epistolarum obscurorum virorum vol. I ep. 1 (Ulrici Hutteni operum supplementi Boeckingiani I 4, 21).

3) Qui epistulas illas conscripserunt Obscurorum Virorum in his quidem rebus grammaticis consuetudinem satis fideliter expressisse videntur, licet exaggeratione non prorsus abstinuerint. Ex 'Scholarium disciplina', "barbarissimo opere et indignissimo quo pueri instituantur' Hegius in Invectiva haec affert: 'Non est dignus magistrare ['mag. est magistros creare vel docere vel regere' Gemma] qui se non novit subiici', ut continuo reiciat his: 'Magistratus cum nomen est latinum est, cum participium barbarum'.

vindicant odio exitiabili laceratis et acerba cavillatione risui primum mox oblivio traditis formae nasali amplificatae firmiter inhaerent ad unum omnibus. Ne Reuchlinus quidem, mox novae studiorum rationis futurus antesignanus celeberrimus, cum anno 1474 vel 1475 pauperum maxime usui consulens ex superioribus auctoribus vasta mole in arctius contracta 'Breviloquum vocabularium' Basileae colligeret [1]) per sex deinde lustra multis editionibus repetitum, quamquam non pauca ex scribendi consuetudine tunc obtinente ad graecorum exemplarium normam immutavit eo ipso tempore ab Andronico Contoblaca natione Graeco illius linguae elementis institutus, vocabulis *epilensia epilensiacus epilenticus* litteram nasalem consona simul *p* in suam sedem restituta eximere animum induxit [2]). Ex Breviloquo (non tamen eo quidem Reuchliniano, sed vetustiore quodam typis numquam descripto unde et ipsa Reuchlini opera pendebat) aliisque medii aevi qui tunc auctoritate plurimum valebant lexicographis fluxisse dictionaria et vocabularios qui cognomento Gemmae gemmarum insigniuntur (iam ab Alexandro Hegio scholae Daventriensis reformatore reiecti tamquam barbarie scatentes) ipse prologus confitetur unde hi libelli 'parvulis ceterisque modice facultatis litterarum studi(os)is' destinati et interpretationibus aliquammultis teutonicis instructi initium capere solent. Inspexi complures editiones [3]), Gemmam gemmarum impressam Colonie per honestum virum Martinum de werdena prope domum cōsulatus in vico burgēsi (vel die burgerstraes) cōmorantem anno

---

1) Locum quo Reuchlinus Breviloqui auctor fuisse demonstratur ex epistula quadam anno 1506 ab illo ad fratrem missa adtulit iam Iacobus Burckhard De linguae latinae in Germania per XVII saecula amplius fatis (Hannoverae 1713) 143, cui tamen nihil videtur suboluisse 'Vocabularium breviloquum' p. 285 ex Martini Crusii sententia barbarismi incusatum et una cum Alexandri Doctrinali et Gemma Gemmarum atque aliis eiusdem farinae libris reprobatum non diversum esse ab Reuchlini Breviloquo (vide etiam p. 381). Neque nimis hoc est mirandum. Ipso enim genere hanc Reuchlini operam coniunctissimam esse cum medii aevi auctoribus et in plurimis rebus ab illis pendere, quo factum esset ut mox abiceretur una cum reliquis medii aevi litteris ab iis qui pristinum linguae latinae nitorem restituerent, verissime iudicavit Haase De medii aevi studiis philologicis 35. Conferantur Geigeri vitae Reuchlini p. 68 sqq. Loewii Prodromi p. 252 sq. et prae ceteris Hamanni qui primus recte de Reuchlini opera iudicasse videtur commentationes 'Mittheilungen aus dem Breviloquus Benthemianus' p. IV et 'Neue Mittheilungen aus dem Breviloquus Benthemianus' p. III sq. Epistula cuius mentionem feci extat in collectione ab eodem Geigero curata p. 90 sq. De ratione quam Reuchlin non tam in 'colligendo' (quod vocabulum iusto honorificentius ipse auctor in epistula laudata usurpavit) quam retractando vocabulario iniit infra agam paucis.

2) Vidi exempla tria quorum duo in bybliotheca Francofurtensi adservantur, in Marpurgensi unum, arte typographa exarata Basileae 1482. 1486, Argentinae 1489. In *epilensia epilenticus* omnia consentiunt quae et ea re inter se conspirant quod praemissa est 'ars diphthongandi (Guarino Veronensi auctore) punctandi et accentuandi': unde factum est errore dudum perspecto ut Guarinus saepe Breviloqui auctor ferretur. De libri in orthographia observantia typographus satis magniloquus haec praefatur: 'Habet enim tot in se orthographiae id est recte scribendi rationis conatus atque studia ut nesciam si possit ipsius diligentia saltem aliqua pecunia pariter aequiparari. Comperiet studiosus lector iamdudum latitantem diphthongorum artem quae debeat syllaba vel per *ae* vel per *oe* conscribi quid per *i* vel per *y* quid aspiratione vel sine ea'.

3) Quarum prima in bybliotheca Marpurgensi extat, ceterae in Francofurtensi cui qui praepositi sunt Viri Clari Ebrard et de Nathusius tanta me exceperunt humanitate et liberalitate adiuverunt ut illis de hac mea opella optime meritis gratias agere vix possim debitas.

domini MCCCCCIIII ipso die sancte Lucie virginis [1]), Vocabularium Gemmam gemmarum diligenter revisum et castigatum perque circumspectum Ioannem Prüsz in Argentinorum urbe ac edibus Zum Thiergarten impressum die XVIII mensis Martii anno salutis humane MCCCCCVIII, Vocabularium Gemmam gemmarum noviter impressum multarum dictionum additione exornatum (Coloniae?) MDXIIII, 'Dictionarium Gemmam gemmarum breves ac castas vocabulorum interpretationes perstringens' typis descriptum 'Argentine in aedibus Knoblauchianis' mense Novembri anno MDXX. Concinunt libri et loco et tempore diversi in hac explicatione: *epilentia est morbus caducus, der uallend siechtag* (*dat uallende oeuel* habet exemplum Coloniense anni 1504). *epilenticus est ille qui patitur epilentiam.* Lemmatum et interpretationum ordine utuntur inverso Vocabularii qui vocantur 'incipientes teutonicum ante latinum': ubi locutionem *falende siechtung* insequuntur latina '*epilentia, inde epilenticus*'. Nec recedunt ab hac scribendi ratione Vocabularii qui nomen invenerunt a primis prohoemii verbis 'Ex quo vocabularii varii autentici e. q. s.' [2]). Et eaedem formae *epilentia epilenticus* obviam fiunt etiam in 'Gemmula vocabulorum alias Ex quo' quam Francofurti pervolutavi cum Gemmis gemmarum ut videtur (nam accuratius inquirere in tempore omisi) cognatione arctissima vinctam [3]). Vel in Italia ubi litterae graecae et multo ante quam ad Hyperboreos translatae sunt et latius iam patentes egerant radices consuetudo in his vocabulis tam tenax fuit nasalis ut Iunianus Maiius Parthenopeus qui 'invictissimo Ferdinando regi librum de priscorum proprietate verborum' inscripsit formam *epilensiă* non magis infestare auderet quam Reuchlinus studiorum consors Germanus, quamquam et ipsum novo saeculi more neque ex glosis obsoletis sapientem in aliis rebus multa novasse et tunc iam temporis extitisse qui *epilepsiam* sine *m* et per *p* scribi iuberent postea videbimus [4]).

Paulo maior videtur scribendi discrepantia inter libros qui glossas continent manu exaratas intercedere (ut tamen nasalis semper servetur), si quid conici licet ex duobus codicibus quorum copiam mihi fecit bybliotheca Francofurtensis (Praedicatorum nr. 1737 qui est Vocabularius Ex quo anno 1429 ad umbilicum perductus et nr. 1986 anno 1456 scripto) [5]). Nam hic [nr. 1986] exhibet *epilencia epilēticus*, ille [nr. 1737] *epilemsia vel epilentia vel epilemsis passio cerebri, unde epilenticus vel epilēsiacus.* Codici anni 1456 adnexae sunt, ab ipso tamen vocabulario separatae, interpretationes vocabulorum graecae et hebraicae originis, inter quas s. v. *epi* haec leguntur: *epylēpsis epilēpsia est passio cerebri s. morbus caducus a quo epilempticus.* Quibus similia etiam in libris impressis habentur. Gemmae gemmarum enim Marpurgensi quam Coloniae a. 1504 prodiisse diximus additae sunt sive typographi

1) Ex eadem officina, sed paucis annis post (1507), prodiit exemplum quo Diefenbachius in Glossariis usus est (p. XX nr. 132). De Gemmae gemmarum editionibus cf. index biographicus et onomasticus epistolis obscurorum virorum a Boeckingio subnexus p. 378 s. v. Reichling Monatsschrift für rheinisch-westfälische Geschichtsforschung und Alterthumskunde III 301 n. 2.

2) Exempla Francofurtensia recenset Diefenbach Gloss. p. XVII nr. 66. 67.

3) Cf. Diefenbach Gloss. p. XVII nr. 69.

4) Usus sum Francofurtensi exemplo Tarvisiae per Bernardum de Colonia a. 1477 impresso. Recentius adhibuit Loewe Prodr. 252 n. 1.

5) Utriusque glossas in suum usum convertit Diefenbach in Novo Glossario (p. XV nr. 45 sq. [annus 1476 (pro 1456) errori debetur ab ipso iam Diefenbachio in catalogo manu scripto correcto] et p. XVI nr. 52).

consilio (nam litterarum formae prorsus eaedem) sive bibliopegi demum opera 'Vocabula et Interpretationes graecorum et hebraicorum terminorum [1]) una cum vocabulis communibus Saracenorum in Latinum translatis', ubi *epy* praeter alia etiam 'intentionem notare', 'inde et a *lensis* vel *lētos epilentiam*' derivari edocemur. Quae in altero recurrunt Interpretationum exemplo quod Francofurti vidi (Elucidario Torrentini anno 1505 Argentinae ab Ichanne Prüss in lucem emisso superadditum).

Formas a primariis et nativis paulo magis deflexas *epilensia epilensiacus epilenticus* offendi etiam in Iohannis Balbi Ianuensis Summa seu Catholico quod cum ab auctore anno 1286 calamo ad finem perductum esset [2]), in ipsis novae artis initiis Iohannis Gutenberg opera egregia typis repetitum est anno 1460 [3]), incorruptum nomen *epilempsiae* ex codice retinuit typographus Augustanus qui 'Salemonis ecclesiae Constantiensis episcopi glossas ex illustrissimis collectas auctoribus' anno fere 1483 curavit imprimendas [4]). Eandem formam usurpavit Clavis compendii magistri Iohannis de Garlandia cuius particulam artis medicae vocabula recensentem ex codice XIII i saeculi Scheler protraxit [5]):

Dic *epi-*, post *ana-*, *catalempsiam*que subinde [6]);
Haec cerebro stomaco venit, illa suprema remotis.

---

1) Talia et in libris scriptis circumferuntur, cf. Wilmanns Rhein. Mus. XXIV 363. 378. Goetz Der Liber Glossarum p. 250 sq. CGL. III p. XXV.

2) V. Boeckingi ind. biogr. et onomast. p. 399. Loewe Prodrom. p. 247.

3) Hanc ipsam editionem adhibui quae extat inter κειμήλια bybliothecae Francofurtensis.

4) Usener Rhein. Mus. XXIV 389. Loewe Prodrom. p. 234 sq.

5) Lexicographie latine du XIIe et du XIIIe siècle p. 5. De Iohanne Garlandino auctore ante renatas litteras diligentissime lectitato cf. Haureau Not. et Extr. XXVII 2, 1 sqq. Testimoniis de Iohannis Accentario p. 54 n. 1 collectis addas ex 'Vocabulis et Interpretationibus grec. et hebr. terminorum' modo memoratis s. *allelu*: 'Iohannes de Garlendia in actentario [sic] suo ponit hos versus' (quos perscribere taedet ob eximiam absurditatem).

6) Cf. Diefenbachii Gloss. s. v. *epilepsia* ('*catalemsia est passio epilenticorum*'), ubi et alia formae consona *n* instructae exempla sat multa enumerantur quibus ex scriptoribus nonnulla addet Ducange; accedunt ex Diefenbachii Novo glossario (praef. p. 17) *epilentia gesiecht, epilenticus der das gesiecht hat.* De *analempsia* v. Alphita ed. Mowat (Anecd. Oxon., mediaeval and modern ser. I 2) 10: *analempsia species est epilencie de vicio stomachi.* Cui loco editor comparavit Sinon. Bartholomei (Anecd. Ox. I 1) 11 *analemp(s)ia est gutta caduca a stomacho*, ib. *analeucia* [scr. *analencia*] *species est epileucie* [scr. *epilencie*]. Cf. praeterea Alph. 97 *lenticos* [quod paullo post recurrit minus recte scriptum *lepticos*] *interpretatur capcio vel captivacio. Inde epilencia i. e. superior capcio, i. e. cerabri, et analempsia et cathalempsia.* — Formae *epilencia epilenticus* leguntur Sinon. Barth. 19. Alph. 113 s. *metha cathophora* 162 s. *sanguis gulege amice*, ut vix recte se habeat *epileptici* Alph. 108 s. *mater infancium.* Matthaeum Silvaticum in Pandectis quem Mowat passim in comparationem vocavit *epilensia epilenticus* scripsisse certissimum est (utor exemplo Marpurgensi Venetiis per Simonem de Luere XII. Ianuarii MDXI impresso), cf. cap. 18 (bis). 36. 193 (bis). 203. 205. 236 (quater). 255 (bis). 259. 264. 266. 318. 338. 339 (bis). 345 (bis). 349. 418 (bis). 523. 532. 570. 577. 583. 587 (ter), praeterea s. vv. *comitialis Eraclea lunaticus pedicon propoma.* Ut raro et sub finem *epilepsia epilepticus* scribatur (c. 630 et s. v. *selini*), editoris ad novum saeculi morem emendare gestientis culpa commissum est, cf. c. 574 ubi bis *epilēsia*, quater *epilentici*, deinde ratione subito mutata *epilepsia* et *epilepticus* scribuntur. Corrupta lectione (lineola deficiente) Matthaeus deceptus est s. v. *lepticos* (debuit scribi *lēpticos*) ubi nunc *epilepsia* liber impressus exhibet, auctorem tamen *epilensia* voluisse addita synonyma *analensia cathelensia* fidem faciunt. — Alphita Sinonoma Pandectae pertinent ad usum scholae Salernitanae cuius doctores *epilempsiam analempsiam cathalempsiam epilempticum analempticum cathalempticum* dixisse constat. S. de Renzi Collect. Salernit. II 110 sqq. 660. III 276. IV 41. 235. 288. 293 (quod hinc inde

In Vocabulario optimo quem Wackernagel ex codice Basileensi saeculi XIVi edidit[1]) video XV a 25 (p. 40) 'inter egritudines hominum' etiam *epilempsiam* recenseri et reddi locutione germanica '*der vallend siechtag*'. Agmen claudat qui non unius artis terminis contentus omnes tractavit Vincentius Bellovacensis. In cuius Speculo Doctrinali ubi sermo incidit de morbis semper scribitur *epilensia* (*epylensia*) *epilenticus*[2]).

Medii aevi lexica et glossaria continua serie ita inter se conexa esse non ignoro ut in glossis vetustis ea fere forma quae ab auctore primario litteris consignata erat per compilatorum et epitomatorum manus secure propagatis non singula discretim, sed coniunctim ad dicendum testimonium producenda sint. Sed res longe aliter sese habet in vocabulis quorum usum consuetudo vitae, medicorum praesertim ars, nunquam intermisit. In his ex tanto omnium concentu hoc certe effici licet, formas unanimi grammaticorum et medicorum consensu probatas non fortuito ortas esse calami errore ab iis deinde qui nova volumina confecerunt describendo contrahendo concinnando credulitate inscita retento. Ex formis plenis *epilempsia epilempticus* librarii et typographi nihil fere mutare solebant nisi quod pronuntiandi ratio postulabat: quae consona *p* elisa[3]) nasalem insequentibus *s* et *t* adsimulari iussit eodem modo quo *lanterna sintosis sintoma* (scriptura medio aevo perfrequentata neque hodie ab Italis derelicta) ex incorruptis *lampterna symptosis symptoma* facta novimus. Vel de recta nomen *epilensiae* accinendi ratione cum saeculi duodecimi grammaticos praecepisse videamus[4]), haec vocabula apparet non in libris modo, verum etiam per ora hominum viguisse.

Ab undecimo inde saeculo voces ex Graecia olim Romam translatas a grammaticorum pro illius aetatis captu doctissimorum ignorantia et socordia deformatas turpissimis corruptelis esse constat, velut ex hoc tempore increbescere videtur usus plane monstruosus qui pro veris et probis venditavit horrida illa *efflexegesis sinodoche auferesis synalimpha tantologia teretema* (i. e. *ἐπερώτημα*) *liptote* quod vel sexto decimo saeculo grammaticis imposuit[5]) *Egloceros* cum aliis similis stribliginis documentis multis[6]). Quibus *epilensia*

legitur velut II 101 *epilepsia* fidem non habere concedet quicumque pagg. II 111. 658. 660 accuratius inspexerit [in una eademque pagina *epilepsia* et *epilentia!*]).

1) Vocabularius optimus. Zur Begrüssung der in Basel versammelten Philologen und Schulmänner herausgegeben von Wilhelm Wackernagel. Basel 1847.

2) Libri XV (XVI) c. 57. 62. Inspexi duo exempla Marpurgensia, alterum Argentinae per I. Mentelin c. 1470 (Panzer I 18 nr. 8), alterum editum 'impensis et cura Hermanni Liechtenstein Coloniensis Agrippine Colonie nec non emendatione diligentissima a. 1494 Id. Ianuarii Venetiis'.

3) Cf. *Lamsacena* CIL. VI 21078. *Comse* 22108 (idem nomen supra scripto *p* 22675). In medicorum libris aut semper aut saepissime *samsucus* (s. *sansucus*, Alphita 143 s. *persa maiorana* Matth. Silv. s. vv. *esbrium sansucus*) scribi memini. *memsis* i. e. *μέμψις* forte enotavi ex glossis Servii grammatici CGL. II 513, 8, *metemsicos(in)* i. e. *μετεμψύχωσιν* ex Lucani commentis Bern. p. 33, 24, *Lamsacus* ex Hieron. chron. 87 *p* Schoe., *Lansaci* ex schol. Bern. in Verg. Georg. IV 111 ed. Hagen p. 961. In psalterio Veronensi graeco sed latinis litteris scripto saepius *p* omittitur in his: *antilemtor synelemte* (i. e. *συνελήμφθη*). Psalterii Graeci quinquagena prima ed. P. de Lagarde 9, 16. 17. 45, 8. 12.

4) Thurot Notices et Extraits XXII 2, 406.

5) Eberhardi Bethuniensis Graecismus ed. Wrobel p. XVIII sqq. Petrus Mosellanus qui inter primos Lipsiae litteras graecas professus est in libello de figuris (inest in Petri Nigidii Selecto lat. gramm. compendio, Ursellis 1574) dixit *lyptote* (p. 392 ubi Tortellius laudatur).

6) Thurot Not. et Extr. XXII 2, 475. Wrobel editionis Eberhardi Bethuniensis p. XVIII sq.

quoque et *epilenticus* (s. *epilempsia epilempticus*) adnumerare tamen vetamur deprompto ex Salemonis glossario testimonio cuius origo ex vetustiore quodam 'libri glossarum' exemplo videtur repetenda esse [1]. Certe iam ante grassantis corruptelae aetatem *epilempsia* et quae sunt similia in glossariis firmiter insedisse aliquot exempla demonstrabunt ex thesauro Goetziano collecta: *analempsia· epilentica* III 510, 5 gl. Vat. s. X (*analempsia· epilempsia* 488, 75 gl. Bern. s. XIII). *epilemticis epelemsia* III 598, 16. 600, 22 hermen. medicobotan. s. X (*catalemticis* 598, 15. *encatalemsis* 600, 7. 31). Ex Britannia his adgregetur testimonium vel octavi saeculi: *epilenticus· woda* [2].

Cum librorum a grammaticis conditorum memoria ipsae vetustorum medicorum scriptiones, si codices consulas neque ex editorum prava sententia constantis usus certissima testimonia vilipendas, de morbi caduci vocabulis graecis tam mirifice concinunt ut codicum consensione non genuinam auctorum manum repraesentari vix tibi persuadeas.

Enotavi ex Helmreichii Marcello Empirico 215, 27 *epilempthicos*, ex Rosii Cassio Felici p. 168, 15. 16. 172, 11 *epilensia*, 171, 15 *epilenticis* [3]), ex eiusdem Anecdotis II 212, 5 *catalemticum*, 248, 9 *epylemticum*, 219, 3 *epylempsia*, 5. 7 *epilempsia*. 219, 15 *catalemtico epylemticus* (quorum utrumque recurrit v. 16), 17 *epilemticis*, 18 *catalemticis*, 19 *epilenticis* [4]). 268, 28. 31 *epilempsia*. Libri ab editoribus adhibiti quamvis tempore diversi — sunt enim saeculis IX. X. XIII. XV scripti — tamen de nasali vocabulis inserenda prorsus concordant. Quorum testimoniis plurimum accedit auctoritatis ex codicum illorum veneranda vetustate qui Oribasium latine servarunt, nam et his praestatur egregie probitas scripturae *epilempsia epilempticus* (hinc inde *p* omitti consentaneum est). In recentiore quoque Oribasii versione latina cuius testis praecipuus est codex decimi saeculi hanc scribendi rationem retineri vix est cur disertis verbis adnotem [5]). Hinc non iam dubitabimus quin et Gregorius Turonensis nasalem in his vocabulis adhibuerit [6]). Sed cum historiae Francorum codices ab ipsius auctoris aetate non ita longo intervallo seiuncti de *epi(y)lenticus* conspirent, Gregorium pronuntiandi rationem tunc obtinentem magis curasse quam etymologiae consuluisse apparet.

Neque hic pedem sistere cogimur, sed memoriam vocabulorum recolentibus ultra licebit progredi. Nam fragmenta iuris anteiustiniani Vaticana quae codici rescripto s. IV/V

---

1) Goetz, Der Liber glossarum 244 sqq. (in glossis Abavus CGL. IV 301 sqq. vocabula de quibus nobis agitur non inveni).

2) Anglo-Saxon and Old-English Vocabularies by Thomas Wright, second edition by R. P. Wuelcker I 19, 28. Quod ibidem 112, 26 ex Alfrici glossario affertur *epilepsia* non ipsius codicis (qui deperditus est) sed apographi nititur fide in huiusmodi rebus vix sufficiente.

3) Huic loco adscripsit editor 'ut semper', unde et 171, 1 *epilent.* in libris scriptum extare consequitur.

4) Capitulum de *epylenticis* (3, 10) quod in Medicinae Plinii editione principe (Romae 1509) inveniri ex Rosii libro (Plinii Secundi quae fertur una cum Gargilii Martialis medicina, Lipsiae 1875) p. 116 compertum habeo cum a codicibus non interpolatis absit a Rosio omissum est.

5) Oeuvres d'Oribase par Bussemaker et Ch. Daremberg, t. V 887 et VI 205 sqq. 360. 504.

6) Bonnet Latin de Grégoire de Tours 142, 2. 219. Gregor. Martin. II 18 p. 615, 6 'quod genus morbi *ephilenticum* peritorum medicorum vocitavit auctoritas; rustici vero cadivum dixere pro eo quod caderet'. Nomen *ephilentiae* extat martyr. 86 p. 546, 21, *epylenticus* hist. Fr. IV 12 p. 148, 15, *epylemticus* (in uno codice neque eo vetustissimo) V 15 p. 197, 12, *ephilentici* Martin. II 24 p. 617, 27. — Vit. patr. 8 p. 699, 1 adnotantur lectiones *epilemtici epilemptiçi*, ex uno codice *epileptici* quod in ceterorum consensu calamo erranti condones. Ex ἐπιλημπτικός Bonnet recte codicum scripturam repetiit, sed non assentior ei *epilentiam* ex *epilenticus* derivanti; quominus *epilentiam* pro *epilensiam* prava ratione scriptum putemus codicum aetas certe non prohibet.

debentur exhibent nihil in hac re ab omnibus aliis quotquot evocavimus testibus discrepantes *epilempticus* cui formae a. 1859 Mommsen verissima subscripsit haec: *ἐπιλημπτικός ἐπίλημπτος ἐπίλημψις* apud Graecos quoque in usu fuisse docent lexica [1]). In corpore Hippocrateorum haud raro similia occurrere — procul dubio ex medicorum natione Graecorum consuetudine retenta — hinc inde notarunt thesauri ab Henrico Stephano olim conditi editores Parisienses. Sed quamquam verba illa de Graecorum usu Mommsen in novissima anni 1890 recognitione [2]) repetenda curavit, tamen in contextum formam vere et nisi fallor unice latinam recipere non ausus praetulit alteram cuius testem idoneum ego quamvis cum cura circumspexerim repperi plane nullum. Ergo non inutile erit lectioni traditae opitulari vocabulo quod et ipsum ad medicorum usum loquendi Dilthey sagaci coniectura rettulit [3]) ex titulo quodam Nemensi accersito: *corona analempsiaca* CIL. XIV 2215. Etiam Chalcidium in Timaeo *lapsus epilempticus* s. *epilemticus* (231) scripsisse consensus vetustissimorum librorum indicat unde Wrobel lectionem *epilemticus* protulit.

Hinc proclivis est suspicio recte et latine dici potuisse *nympholemptum* quod adiectivum cognatione quadam intellectus cum *ἐπίλημπτος* coniunctum est. Nec video qua ratione demonstrari queat Varronem Ling. lat. VII 87 aliter dixisse, cum in codice Florentino scriptum sit *lympholemptus*. In quo cum *νυμφόλαμπτος* formam ionicam delitescere coniceret editor praeposteram exhibuit eruditionem. Nam Herodotum *Φοιβόλαπτος* dedisse titulorum fide constat — quicum conspirat Hippocrateum *ἀναλελάφθαι* ab Hesychio conservatum [4]) (Erotiani *ἀναλελάμφθαι* eadem labe infectum qua libros herodoteos maculatos videmus) — nec certum est corruptelam Varrone esse vetustiorem.

2. Quod de arte medica aliquatenus certe mihi videor demonstrasse, idem fere cadere in rhetoricam apparebit opinor exemplis ex editionibus Halmianis in unum congestis. Artis vocabula sat multa ex verbi graeci *λαμβάνειν* compositis originem duxerunt. Quibus nasalem saepissime insitam fuisse librorum usu evidentissime comprobatur.

μετάλημψις s. *metalem(p)sis* Quintilianus admisit si libris fides habenda III 6, 46. VI 3, 52. VIII 6, 37. 38. IX 1, 5. 2, 106, *πρόλημψις* s. *prolem(p)sis* IV 1, 49. IX 2, 16. 3, 99, *προλημπτικόν* III 6, 35 (unde conicias quod eodem loco legitur *ΑΠΡΟΛΗΜΤΟΝ* in A, *ΑΠΡΟΑΗΤΙΤΟΝ* in B ex *ἀπρόλημπτον* ortum esse). Gravius depravata verba VIII 3, 51, sed ut genuina lectio *ἐπανάλημψις* pelluceat. IX 2, 106 *μετάλημψιν* ex solo B enotatur. Uno loco comparet nasali destitutum *ἀντίληψιν* VII 4, 4 (nihil certe varietatis editor adscripsit), quod satis mirum videtur nec dubitatione vacuum. Multo intricatior fit quaestio in artigraphis minoribus. Libellos quidem quorum fides sola continetur editione Basileensi qua Beatus Rhenanus codicem Spirensem nunc deperditum fidelissime expressisse dicitur [5]) nobis utique seponendos res orthographicas inquirentibus esse et communis eius saeculi consuetudo docet et comprobat scribendi inconstantia in editione illa obvia qua factum est ut in Rutilio Lupo 8, 1 *epanalepsis* exararetur, contra 14, 14 non correctum *prolempsis* retineretur, quamquam in codice Vindobonensi ab Halmio excusso utroque loco nasalis in *epanalempsis prolempsis* comparet. Quae cum ita sint,

---

1) Abhandl. der Berl. Akad. 1859 II p. 311.

2) Coll. libr. iuris anteiustin. tom. III: Fragm. Vatican. Mosaicarum et Romanarum legum collatio recogn. Mommsen p. 55 fr. 130.

3) Rhein. Jahrb. 53/54 (1873) 5, 1 (v. Dessau ad CIL. XIV 21).

4) Lobeck in Buttmanni Gramm. gr. II 231. Kuehner-Blass II 472.

5) Rhetores latini minores emendabat C. Halm p. VII.

nihil prorsus effici licebit ex locis Rufiniani et Sulpitii Victoris [1]). In ceteris si ut par est eorum tantum librorum rationem habeas quorum lectiones satis accurate exploratae sunt, constare videtur in Rutilio Lupo de formis *epanalempsis prolempsis*, in Aurelio Augustino de *metalemsis* 143, 11, in Aquila Romano de *epanalempsis* 31, 32, in carmine de figuris de *ἐπανάλημψις* 66, 67 (unde *πρόλησις* 68, 124 emendes), in Martiano Capella de *epanalem(p)sis* 481, 13 [2]), in Isidoro de *procatalemsis* 520, 16 et *epanalemsis* 521, 13. In Bedae commentario de schematibus et tropis 608, 2. 611, 21. 612, 25 ex codicibus omnibus afferuntur *prolem(p)sis metalem(p)sis epanalem(p)sis*, 608, 2 ex B *sillipsis* (quod mox explicabitur), ex EF *sillemsis*, 608, 3 ex B *epanalipsis*, ex EF *epanalem(p)sis*, ut haud immerito ambigas, num revera ex editoris talia ubique vel contra libros reprobantis silentio 608, 6. 30. 609, 19 *prolepsis syllepsis epanalepsis* traditionis fide inniti colligendum sit [3]). Eadem dubitatio pertinet ad Iul. Victor. 382, 3 ubi Halmius sine nota dedit *metalepsi*, cum 380, 17. 19 de codicis lectione *antilensis* bis diserte monuisset. His quartus locus accedit Clodiani 590, 11 ubi vocabulo *metalepseos* in contextum recepto nihil ab Usenero cuius collatione editor usus est subscriptum video.

Singularis ratio est libelli de schematis dianoeas quem primus Eckstein ex codice Parisino saeculi octavi volgavit. In quo vocabuli *προκατάληψις* loco scriptum extat *procalipsis* (ed. Halm. 75, 25), cum *ἐπανάληψις* abierit in formam *epenlipsis* (76, 30). Quibus pro incorruptis uti non ausim, quandoquidem mihi apparere videtur ad similitudinem terminorum in -*λειψις* [4]) cadentium illa vocabula detorta esse. Sicut haud ita raro mutatio contraria voces cum verbo *λείπω* compositas obsedit. Cf. 24, 25 (pro *παράλειψις*) *paralempsis*, 478, 3 *paralemsis*, 517, 9 (pro *ἔλλειψις*) *ellemsis* vel *elempsis*. Exempla egregia mihi Juerges monstravit in Frontonis epistulis ubi p. 98. 99 vocabulo *παράλειψις* in margine latinis litteris bis adscriptum est *paralempsis*. Alia similia paulo post cognoscemus in grammaticis ad quos nunc sese convertat disputatio.

3. Cum in artis rhetoricae scriptoribus ex ambiguitatis salebris aegre emergere licuerit, omnia plana videntur et aperta in grammaticis: tanta adfluit testimoniorum copia, adeo tenax per saeculorum longam seriem fuit magistrorum consuetudo, ut de nasali inserenda dubitationi relinqui videatur locus nullus.

Codex Neapolitanus ex quo Keil Grammaticorum Latinorum vol. I Charisii artem grammaticam edidit vel ineunte octavo saeculo vel exeunte septimo Bobii scriptus habet *epanalempsis* 279, 28. 281, 18, *metalempsis* 272, 4. 273, 5, *prolempsis* 279, 27. 280, 1, *prosparalempsis* 277, 26. 278, 13. 279, 28. 281, 4 (contra recte *paralipsis* 284, 7, *enlipsis* 271, 4, *ectlipsis* 277, 28. 279, 12). Eiusdem aetatis visus est viris doctis codex Vindobonensis olim Bobiensis, ex quo Keil IV 253, 5 *prosparalempsis* enotavit (264, 10 paullo magis corruptum elisa consona *eclipsis* i. e. *ἔκθλιψις*). Donati verba idem constituit ad librorum fidem saeculis VIII. IX. X scriptorum qui fere in *epanalemsis metalemsis prolemsis syllemsis* conspirant [5]) et in *eclipsis* (i. e. *ἔλλειψις*) *ec(th)lipsis* [6]). Raro et in singulis obviam fit -*lempsis* 397, 9 vel -*lensis* 400, 4. In partes diversas libri discedunt 396, 7 in *προσπαράληψιν* quod scribitur *prosparalipsin* S *prosparalypsin* P *prosparalemsin* L. Vocis *παράλειψις* recordatione praepostera librarios transversos actos esse apparet. Subiungo ex commento Einsidlensi in Donati Barbarismum *prolemsis silemsis* [7]); ex alio saeculi undecimi libro quod in eodem versatur argumento Thurot l. l. 16 paucula attulit inter quae et forma *silemsis* legitur.

---

1) Sunt autem hi: editionis Halmianae 46, 1. 48, 1. 10. 49, 13. 60, 15. 338, 31. 34.

2) Addo ex Eyssenhardti editione lib. IX de musica 994 (p. 373, 19) *ἐπίλεμσις* i. e. *epilemsis*. Nullius usus IX 936 (p. 352, 21) *λῆψις*, nam in libris est *lexis*, vocabulo magis usitato *λέξις* pro *λῆψις* substituto.

3) Libris quos Halm excussit accedit testimonium codicis Parisiensis 7551 (s. IX) quod Thurot protraxit Not. et Extr. XXII 2, 87 ubi enotantur scripturae *prolemsis silemsis epanalemsis*.

4) Charis. 271, 4 *enlipsis* quae est vetustior vocabuli *ἔλλειψις* forma.

5) IV 397, 8. 9. 12. 23. 26. 398, 9. 399, 15. 400, 4.

6) IV 394, 28. 395, 11. 31. 396, 27.

7) Hagen Anecd. Helv. 268, 33. 259, 8. 27.

Volumine quinto cum artium scriptores minores complecteretur Keil tandem constantia usus et librorum consensu victus formas nasali amplificatas quas ad id temporis in calce paginarum exulare coegerat recepit, in Pompeii commentum *epanalempsis metalempsis prolempsis syllempsis* [1]) (iuxta quae exaranda curavit *eclipsis ecthlipsis*) [2]) de lectione accuratiora fere non adnotans [3]), in Consentii artem 388, 6 *paralempsis* cuius loco in uno codice *paralēsis* legi diserte addit [4]). Eandem consuetudinem secutus est in editione Claudii Sacerdotis [5]) volumini sexto inserta quem cum olim Eichenfeld et Endlicher luci redderent suo iure nasalem in *-lempsis* retinuerant, quamquam minus recte dialecti aegyptiae vestigium agnovisse sibi visi sunt [6]). Tamen Keil in syllabae definitione quam Marius Victorinus V 196, 20 sq. et Audax VII 327, 16 sq. proferunt vocabulo graecis litteris consignato *συλλήψεως* nasalem relinquere non ausus est, licet a librorum memoria egregie munita esset: in archetypis fuerunt *sillemseos sillemsis* [7]) quae ex graecis *συλλήμψεως σύλλημψις* nata esse apparet. Atque ipsum *συλλήμψεων* extat in artis Dositheanae parte graeca ubi de syllaba agitur VII 386, 13. Adde quod *κατὰ πρόληνψιν* Gell. X 16 in libris diserte traditur seu ex corruptelis certissima emendatione elicitur. Littera *μ* recte caret *καταλήψεων* Mar. Victor. 3, 11, quippe quod ex vetustiore sententia (artis definitione stoica) depromptum sit. His quae congessi adicias ex Commento Sedulii in Eutychem *sylemsin* [8]), ex Hieronymi hebr. quaest. in libro Genes. 33, 3. 64, 1 de Lag. *prolempsis*.

Locum sibi vindicaret inter omnes grammaticos latinos qui de metaplasmis tropis figuris dedita opera tractarunt prorsus solitarium, si Keilii editioni in his orthographiae minutiis omnino fides habenda esset, Diomedes quem ille cum Charisio primo volumine comprehendit. Nam plerisque locis ubi editio *-lepsis* exhibet nihil subscriptum reperio ut nisi caveas in libris hoc ipsum extare facile tibi persuadeas. Sed scrupulum inicit quod p. 444, 31. 456, 31 in codicibus inveniri *syllemsis metalemsis* (*metalimsis metalimpsis*) forte comperimus. Quid rei sit ipsis optime declarabimus Keilii verbis ex praefationis p. XLIII desumptis: 'Quae praeterea maxime usitata librariis sunt, ut *analempsis* vel *analemsis zeuma polisundeton sustole onomatopia patronomica* aut per se falsa aut non eadem constantia scripta sunt'. Atqui Keilium quaecumque in scribendi ratione a librariis peccata putabat non ea qua par erat diligentia libros excutientem adtendisse postea videbimus. Ego nullus dubito quin *m* his vocabulis a librariis qui Diomedis artem calamo propagaverunt eadem constantia insertum sit qua idem factum esse in ceteris grammaticis certum est [9]), in poetarum commentariis probabile.

1) V 300, 32 sq. 301, 1. 5. 9. 28. 32. 36 sq. 302, 1. 3. 13. 26. 303, 2. 8. 306, 26. 31.

2) V 293, 3. 294, 25. 298, 9.

3) De fide lectionis in Iuliani excerptis V 324, 22 *metalepsis* parum constat. Cf. Hagenii Anecdota Helvetica p. CCXI (ad p. 324, 22. 27), ubi ex codice Bern. verior scriptura *metalemsis* adfertur.

4) V 389, 32. 390, 11. 400, 29 sqq. unicus codex habet *iectlimsis* vel *iactlimsis* pro *ecthlipsis*. Quam formam erant qui medio aevo probarent et in scholis adhiberent, nam recurrit in Cruindmeli sive Fulcharii arte metrica ab Iohanne Huemer edita; 42, 28 habet cod. Frising. *iectlimpsin*, 32 sqq. *ectlimpsin* (43, 12 *ectlempin*).

5) VI 456, 7. 457, 1. 458, 11. 467, 4.

6) Analecta grammatica 33.

7) Quae in auctorum latinorum codicibus graece scripta sunt cave ne semper fide digna opineris. Saepius graeca antea latinis litteris reddita a medii aevi librariis eruditionis vanam gloriolam captantibus [Rose Anecd. I 95] proprio Marte veste graeca induta sunt.

8) Hagen Anecd. Helv. 9, 12. *silensin* pronuntiatum esse docet *Eolemsium* 5, 26 (i. e. Aeolensium).

9) Parum exemplorum habet Priscianus quam ut certam ferre sententiam liceat, tamen de *πρόλημψις σύλλημψις* II 183, 21 librorum memoria satis constare videtur nec desunt II 125, 15 scripturae *πρόλημψις* codicum testimonia. De *περιλημ(π)τικός* omnes conspirare infra cognoscemus.

Nam ut ad poetarum interpretes disputatio transeat ex Servio mihi Juerges qua est insigni officiositate laboris taediosi parte ultro in se suscepta benigne enotavit *prolem(p)sis* in Vergil. Aen. I 2 (ed. Thil. p. 9, 2). VI 900 (p. 123, 15). VIII 136 (p. 220, 2). IX 9 (p. 309, 18), *epanalempsis* II 394 (p. 282, 18), *syllem(p)sis* IX 60 (p. 315, 5). IX 523 (p. 355, 10). X 605 (p. 452, 24). X 672 (p. 458, 19). in Georg. III 115 (p. 286, 11), quorum locorum plerisque complurium librorum testimonia adscripta sunt ut merito ambigas num revera codicum consensu praestetur fides scripturae *syllepsis prolepsis* in Aen. X 32 (p. 388, 2). Georg. II 162 (p. 235, 33), ubi editor tacet. Nam ne Thilonis quidem silentio in orthographicis abuti licere huius commentationis docebit pars altera. Scholia Bernensia ad Vergilii Bucolica et Georgica ab Hagenio volgata haec exhibent ad nostram quaestionem facientia: in Bucol. 1, 70 (p. 755) *metalemsis*, 6, 26 (p. 796) *silemsin*, in Georg. IV 462 (p. 979) *prolempsis*, IV 25 (p. 957) *sinlimpsin*. Ad similitudinem vocabuli *ἔνλειψις* corruptum videtur comm. in Georg. I 350 (p. 873) *sinlipsis*, contrarium accidit II 1 (p. 885) voci *emlimpsis* i. e. *ἔνλειψις*[1]).

Porphyrionis verba in commentariis Horatianis cum secundum codicem Monacensem saeculi decimi constitueret Meyerus Spirensis suo iure ex diuturno exilio tandem reduxit postliminio formas *epanalempsis σύνλημψις syllempsis* traditionis fide insigniter munitas[2]) (cf. *ἔνλειψις* 231, 1, *ἔλλειψις* 234, 14. 316, 6). Casu quodam evenit ut omnibus fere aliis in meum usum collectis perlustrare inciperem commenta Bernensia in Lucanum quae pauca quidem exempla nova suppeditare videntur — *prolem(p)sis* p. 20, 1. 128, 33[3]) — sed (quod gravius est) sententiam meam confirmant summi viri auctoritate, Hermanni Usener qui p. 128, 38 ad *prolemsis* adnotavit: 'constanti in grammaticis latinis scriptura'[4]). Neque hanc scripturam librariorum demum opera libris superiorum obtrusam esse, sed ipsis grammaticis fuisse probatam vel potuisse certe probari demonstratur Diomedis et Prisciani cum titulo quodam consensu. Ex illo appono haec (GL. I p. 322, 23): 'Sunt quaedam positione singularia, intellectu pluralia, quae Graeci *perilemtica* (sic enim scribitur in libris, apud Priscianum I 176, 14 eodem concentu sed litteris graecis *περιλημπτικά*) nominant, ut contio populus exercitus'. Hoc ad ipsos auctores ne dubitem referre, effecit quod in titulo anni 198 p. Chr. legi nomen *Euperilempti* CIL. VI 1052. Neque aures commodabo obicientibus ab auctoribus eruditis abhorrere formas volgares. Immerito enim nobis volgares videntur, quippe quas magistellorum Graecorum arbitrium nescio quo

---

1) Hagen scholia ex duobus codicibus edidit, sed cum codice *C* adnotationum pars tantum dimidia contineatur (p. 689), noli iis locis ubi de *C* tacetur ex hoc silentio colligere in *C* extare formas in *lepsis* desinentes quae editori tamquam verae et genuinae adeo placuerunt ut semper inter scholiastae verba reciperet.

2) Cf. p. 179, 23. 185, 1. 200, 18. 204, 14. 210, 5. 284, 20. Primo quo in codice vox *σύνλημψις* occurrit loco p. 13, 2 Meyer inveterato more et ipse 'correxit', sed procedente opere libri in hac re constantiae non videtur voluisse diutius reluctari.

3) Voces cum verbo graeco *λείπειν* compositae nasali carent p. 17, 5. 188, 11. 209, 16. 220, 11. 277, 17.

4) Grammaticorum usum non praetermisit Joh. Schmidt Voc. I 119. — Ex glossis addendum *prolemsis* CGL. IV 274, 47.

aevo[1]) adeo infestare coeperit ut in libris qui illorum manus emendantes experti sunt sive a scribis scholae observantiam orthographicam anxie sequentibus exarati vestigia relinquerentur admodum rara[2]). Sed antea homines longe aliter de his formis sensisse luculenti demonstrabo exemplo Epicurei Oenoandensis cuius memoriam Galli nuper redintegrarunt. Qui cum in ceteris accurata fere et proba utatur scribendi ratione — nam *κόζμος δεζμός φάζματα* licet ab nostra consuetudine aliena sint tamen reprehensione immunia —, in declinamentis verbi *λαμβάνειν* nasalem nusquam omisit: *λήμψομαι ἐπαναλήμψομαι προλημφθῶμεν καταλημπτά ἀκατάλημπτα παραλημπτέον ἀντίλημψιν*[3]). Nec quod ille sibi licitum esse existimavit Quintilianum videbitur dedecere.

4. In Italiam Romamque Graecos secum attulisse formas *λήμψομαι ἀνάλημψις* ut invictis comprobarem documentis attuli ex titulis *analempsiaca* et *Euperilemptus*. Quibus nunc pauca addere placet. Bull. di archeol. crist. ser. V ann. 3, 63 *Iuniae Analempsi* quod nomen optime explicatur titulo graeco quem adscripsit de Rossi Inscr. christ. I p. CXVI *Ἰουλεία Εὐαρέστα — ἀνελήμφθη*. *παραλημφθείς* legitur CIL. VI 6048 = IGSI. 1702, *λημφθείς* bis in versibus CIG. 6210 = Kaibel Epigr. 722 = IGSI. 1320. Haec graviora sunt utpote ex lapidibus collecta, sed multo plura adsunt testimonia in glossariis bilinguibus et hermeneumatis, ut tamen formae nasali destitutae amplificatas paulo superent. In Philoxeno qui dicitur repperi *λη̣π-* locis 11[4]), *λημπ-* totidem[5]), in Cyrillo *λη̣π-* 23[6]) *λημπ-* 14[7]); in glossis Servii grammatici offendi *silemsis* 510, 34, in hermeneumatis

1) Saeculo octavo formae *λήμψομαι ἐλήμφθην* ex Novi testamenti libris eici coeptae sunt. Codicis Vaticani *διορθωτής* recentior quem decimo vel undecimo attribuunt periti litteram nasalem quam scriba posuerat delere consuevit.

2) Ioseph. Antiqu. XIV 92 *συλλημψομένους*. Vit. 52. 111 *λήμψεσθαι*, 224 *λήμψει* (ex codice P omnia). *λήμψομαι* in Clementinis tradi indicat de Lagarde Mittheil. I 34. Passio S. Perpetuae edd. Harris et Gifford c. 10 p. 53, 12 *ἀντιλήμπτορες* (alia similia in isdem actis nasali carent). *ἐκλήμπτορσιν* Iustinian. nov. (ed. de Zachariae-Lingenthal) nr. 147 *α´* (vol. II 352). Hieronymiani libri interpretationis hebraicorum nominum novissimus editor (Onomastica sacra iterum ed. de Lagarde p. 97) in uno codice (ceteri corruptela laborant) 46, 22 *ἀντιλημπτῆρας* (i. e. tridentes vel fuscinulae interprete Hieronymo) commode legi posse asseruit. V. etiam Papii lex. s. v. *θεόληπτος*.

3) BCH. XVI 1 sqq. Usener Rh. Mus. 47, 429 sqq. nr. 13. 14. 15. 17. 24.

4) *ἀναληφθείς* 169, 32. *ἐπιληπτικός* 183, 41. *παρείλεπται* 169, 32. *περιείληπται* 105, 25. 111, 43. *προκαταληψόμενον* 137, 54. *προλήψει* (dat.) 158, 5. *συλλήβδην* 192, 26. *συλληφθείς* 106, 50. *σύλληψις* 111, 44 sq.

5) *λημφθείς* 12, 9. *ἀναλημφθείσης* 194, 2. *ἐκλήμπτωρ* 170, 21. *ἐπανάλημψις* 88, 45. 148, 18. 172, 34. 37. *ἐπιλημπτι(κός)* 95, 25. *καταλημπτικά* 137, 51. *περιλημφθείς* 7; 23. *σύνλημψις* (*καὶ συλληφθείς*) 106, 50.

6) *λῆψις* 287, 19. *ἀντιλήπτωρ* 229, 56. *ἀπόληψις* 238, 30. 32. *ἔκληψις* 291, 28. *ἐπιληπτικός* 309, 22. *ἀνεπίληπτος* 225, 67. *εὐεπίληπτος* 316, 57. *ἐπαναληπτικόν* 305, 37. *ἐπανάληψις* 305, 44. *κατάληψις* 341, 31. *ἀκατάληπτος* 222, 21. *περίληψις* 403, 22. *ἀπερίληπτος* 234, 41. *δυσπερίληπτον* 282, 10. *συλλήβδην* 441, 31. *σύλληψις* 441, 32. 33. 34. *ἀνδροληψία* 225, 20. *Δημητριόληπτος* 269, 31. *θεόληπτος* 327, 30. *ἱερόληπτος* 351, 19.

7) *λήμπτης* 360, 21. *λῆμψις* 360, 22. *λημψόμενος* 360, 23. *ἐκλήμπτωρ* 291, 26. *ἔκλημψις* 291, 27. *ἐπιλημψία* 309, 23. *ἐπιλήμψιμος* 309, 24. *ἐπίλημψις* 309, 25 sq. *μετάλημψις* 369, 9. *προλήμψομαι* 418, 31. *πρόλημψις* 418, 49 sq. *ὑπόλημψις* 466, 50.

CGL. III 156, 3 *prolimpsome*, 180, 3 *acatalimtos*, 207, 13 *epilemptis· caducus*, 288, 28 (658, 19) *ἐλήμφθημεν*, 488, 76 *analempsia· epilempsia*, 510, 5 *analempsia· epilentica.* De glossis medicobotanicis iam supra mihi dictum. Graecorum usus cum in his variaret, Romani si quod vocabulum cum verbo *λαμβάνω* compositum ex graeco suum faciebant formas littera *m* instructas longe videntur praetulisse. Quocirca non vereor ne Ovidio iniuriam intulisse arguar, si art. am. III 273 *analemptrides* commendaverim, quod librorum testimoniis non destitutum videtur, quamquam optimus cod. Reg. lectionem ambiguae interpretationis *analecptrides* exhibet. Ovidio adiungo scriptorem medii aevi quem graecum adverbium mihi in scriptoribus Romanis vetustioribus non repertum *συλληπτικῶς* adhibuisse tradita verba paullo accuratius intuentibus continuo apparebit: quae extant in vita Athanasii episcopi Neapolitani (cuius auctorem saeculo decimo non inferiorem esse Waitz existimat) [1]) ab editore prava distinctione quam correxi mire turbata. 'Dic michi sacerdos, legisti et intellexisti statuta vel praecepta sanctorum patrum? Syllemticos [2]) interrogatus syllemticos responde'. Vides quanta cum fide in his nasalis et consuetudine vitae quae vocabulum haud scio an ex sermonis graeci usu Neapoli olim regnante [3]) retinuerit et librorum traditione ubique conservata sit.

5. Romani ultimi ante Christum natum saeculi cum vocabula *ἐπίλημπτος ἀναλημπτρίς* alia reciperent haud secus egerunt atque urbium doricarum incolae qui patriae dialecti in titulis usum abrogari nolentes saepissime tamen inmiscuerunt formas *τῆς κοινῆς* proprias leviter eas quidem colore dorico infectas. Huc enim rettulerim Andaniensium *λάμψεσθαι* [4]) et Gythiensium *συνυπόλαμψις* [5]) quas formas ut facilius agnoscas Peloponnesiorum *πλατειασμός* est demendus: *λάμψεσθαι* = *λήμψεσθαι* [6]). Unde discas quam late regnaverint quamque omnibus acceptae fuerint formae nasali auctae et mirari desines quod et Romanis placuerunt. Nos quidem earum usum in sacrae scripturae prima lectione solemus addiscere, sed nec Bibliorum neque dialecti alexandrinae terminis eum circumscriptum fuisse vel inter theologos constat, qui cum talia in universum parum curare soleant tamen in hac re docere potuerunt grammaticos.

Exemplorum numerum augere (ut tamen quae suis locis in disputatione praegressa attuli iterum repetere supersedeam), non inutile iudicabitur, si Blassium in Kuehneri grammatica *λήμψομαι*

---

1) Monum. German. histor: Scriptores rerum Langobardicarum et Italicarum saec. VI—IX p. 447,34 sq.

2) 'patrum Syllemticos? Interrogatus Syllemticos responde' editor qui adnotavit: 'Fictum fortasse nomen: an de vocabulo *συλλητιχῶς* [sic] cogitandum?'

3) Hincine repetenda est origo formae satis mirae *Neapolites* (cf. 446, 37. 244, 28. gen. *-politum* 441, 16. 444, 34. 244, 31. dat. *-politibus* 443, 4. 235, 14)? An imperii Byzantini auctoritas in tantum valuit ut in Italorum sermonem novas transferret formas ex Byzantinorum usu recentiore depromptas? Recentiores enim Graecos dixisse *Νεαπολῖταις* notum est. [Saec. XVo 'Neapolitanos *ovum hapalum* dixisse quod absque testa gallina peperisset' testis est Pontanus de aspir. I f. 15 b].

4) Dittenberger Syll. 388, 67. Titulus Andaniensis notissimus ineunte saeculo ultimo ante Christum scriptus.

5) Dittenberger Syll. 255, 21/22. Titulus primi ante Christum natum saeculi. Krauss (Byz. Zeitsch. II 526 sq.) cum *πρόλαμψις συνυπόλαμψις* ex Kumanudis Synagoga adduceret, immane quantum erravit de *πρόλαμψις* quod ad verbum *λάμπειν* pertinet.

6) Errare censeo qui *λάμψομαι* correpto *α* ecferri iusserint Herodoti libris decepti quos titulorum memoria interpolationis convictos esse supra monui.

ex solo Novo testamento notum habere videris. Sat amplam testimoniorum congeriem ex Corpor Boeckhiani titulis lycicis quibus unus italicus iam supra nobis memoratus adiectus est suppeditabur Novi Testamenti a Tischendorfio editi prolegomena [1]). Interim alia locutionis *ὧν ὁ ἐλένξας λήμψετι τὸ τρίτον* exempla accesserunt ex inventis ab Austriae [2]) et Galliae [3]) viris doctis inscriptionibu Ex titulis palmyrensi (a. 137 p. Chr.) [4]) et pisidiensi [5]) Buechner apposuit *ἀνελήμφθη* et *λήμψη* [6] Heuzey Miss. de Macéd. 170 nr. 97 *λήνψονται* legendum esse probabile est. Ex forma quadar Iudaeorum consuetudine recepta Krauss graecum *ἀνδρολημσία* suspicione admodum probabili elicuit [7] cui accuratissime respondet quod in titulo palaestinensi sexti fere saeculi comparuit *ἀντιλήμσεος* [8] Sed longe maior accrescit exemplorum copia ex Aegypti monumentis cum papyris tum lapidibus ir scriptis. Ex papyris Parisiensibus iam G. Meyer [9]) attulit *λήμψομαι* Pap. du Louvre 14, 47 (p. 213) addo ex eodem fonte petita *ἐγλήμψει* 62 VI 20 (p. 358) *λήμψομαι* nr. 70 (p. 421), ex papyris muse Britannici nuper editis *ἀντιλήμπτορας ἀντιλήμψεως* 23, 18. 20, musei Berolinensis *(δια)λήμψεται* I 15, 16. 1 II 8. *σιτοπαραλήμπτου* II 81, 4. *ἀναλ[η]μφθέντες* V 140, 23, ex aliis *προσλήμψη* Dieterich Abraxas 193 c. not *χορτοπαραλήμπτης* Rev. égypt. IV 61 nr. XIV [10]), ex titulis *παραλήμπτης* CIG. 5075. 5108. Rev. arcl 1883 (ser. 3 vol. II) 176. Nec spoponderim praeter haec quorum aliquot alterius ante Christum saecu sunt nulla alia inventum iri diligentius circumspicienti. Quantopere has formas Aegyptii adamaverir in hac re cum Romanis maxime conspirantes praeclare illustratur usu Gnosticorum coptice loquentiur in quorum scriptis locis innumeris leguntur *παραλήμπτης* et *παραλήμπτωρ* [11]). Nec tamen iam metuer dum erit ne cum Sturzio pro alexandrinis vendites quas ubique fere terrarum Graecis usitatas fuiss intelleximus.

Quo loco primum ortae sint adhuc nescitur; nam quod vetustissima exempla fere i Aegypto deprehenduntur hinc optime explicabitur quod formae origine procul dubio volgare initio non nisi ab indoctis admittebantur in scriptis et illitteratae consuetudinis accuratiorer notitiam paene totam haurimus ex reliquiis caelo Aegypti conservatis. Sed brevi tantur tempore intermisso nasalem ex analogia praesentis etiam ceteris formis inserere vel litterati eruditisque hominibus placuisse Romanorum consuetudine ad optimorum testium fider exacta sumus edocti neque quod apostoli *λήμψομαι ἐλήμφθην* simm. dixere pro rudi plebeiique sermonis indicio perversa sententia habere pergemus.

6. Hanc quam dixi Romanorum consuetudinem per medium aevum durasse plane nemir improbatam ut plenius intellegatur, grammaticorum qui tunc fuerunt — nam de medici iam acta res est — scripta perlustremus oportet. Saeculo duodecimo Petrum Heliam i

1) Nov. testam. graece ed. VIII crit. mai. vol. III 72.
2) Reisen in Lykien I nr. 29, 17. nr. 107. II nr. 187.
3) BCH. XVI 214 sqq.
4) Herm. XIX 490 v. 5.
5) Papers of the Americ. School III 438, 2. Addas *ἀπολήμψη* II 58, 37.
6) Commentat. Woelfflin. 357.
7) Byz. Zeitschrift II 526.
8) Bull. di archeol. crist. ser. V ann. 3, 27 not.
9) Gramm. graec. [2] § 43 p. 50.
10) De vocibus cum *παραλήμπτης* compositis v. Wessely Denkschr. der Wiener Akad. XXXVII 10
11) Dieterich Nekyia 227 not. Nonnulla exempla adscripsisse sufficiet. Pist. Soph. ed. Schwartz Petermann 12, 21. 35, 11. 21 bis. 36, 22. 37, 3 cet. 193, 4. 234, 10. 13 cet. *παραλήμπτωρ* (-*λήμτωρ* 192, 20 215, 10. 227, 15. 16. 21. 234, 14 cet. *παραλήμπτης* (-*λήμτης* 106, 9. 200, 3. 215, 3. 227, 3. 8. 13 Gnostische Schriften in koptischer Sprache ed. C. Schmidt 241, 18. Formas nasali destitutas mil quidem non contigit ut invenirem (cf. Hug Einl. in das N. T. I [3] 277). Eo minus credibile Tertullianu adv. Valent. 35 *acataleptus* (Loewe Prodr. 233. Saalfeld Tens. s. v.) dixisse.

commentariis quos in Prisciani institutiones scripsit de *prolemsi silemsi* verba fecisse Thurot docuit ex libris manu scriptis [1]) cum quorum usu fere convenit Vincentio Bellovacensi qui excerpta ex Petro in Speculi doctrinalis librum alterum transtulit. Vincentii editiones quas mihi ad manum fuisse supra p. VIII significavi exhibent II (III) c. 191 *prolēpsis silēpsis* (alt. exempl. *silepsis* [sic] quod erratum typographi videtur) *epanalēsis*. 192 *methalensis* (*methalēsis*). Provinciales qui dicuntur formas *epynalensis methalensis sylempsis* recepisse Raynouard indicavit in lexico, Germanos septentrionales cum illis fere conspirantes dixisse *eparalæmsis* s. *eparalensis methalæmpsis* s. *metalensis prolæmsis silemsis* monuit Edwardus Schroeder [2]).

Inde ab saeculo tertio decimo ineunte omnes ubique gentium ludi personabant versibus Alexandri Galli (de Villa Dei) cuius Doctrinale a. 1199 compositum mox tantam inter magistros auctoritatem adeptum est ut c. a. 1500 Pylades Brixianus [3]) merito 'Alexandri Teutonici volumen iamdudum ab universo mundo receptum atque in omnibus scholis perlectum' dicere potuerit. Quod cum ab a. 1470 ad 1588 usque 270ens typis repetitum nuperrime ex libris manuscriptis primum ederet Reichling omnium quos adhibuit codicum consensu [4]) victus — quamquam alias ad nostrum scribendi usum vel invito auctori obtrudendum iusto fuit pronior [5]) — iure retinuit *prolempsis* 1125. 2445. *sўlempsis* 2445. 2456. 2458. 2461. *metalempsis* 2498. 2507, sed pro *epanalempsis* scribere debuit *epinalempsis* 2446. 2470. Nam quod hinc inde *-lensis* codices exhibent a forma *-lempsis* non nisi scriptura diversum nihil morandum. Quibus formis nasalis adeo tenaciter infixa erat ut ad earum similitudinem etiam *ἀναπόλησις* detorqueretur: cuius loco extat *anapolensis* in Graecismo Eberhardi Bethuniensis grammatici Alexandro et aetate supparis et auctoritate:

Incipit et finit verbo *anapolensis* eodem:
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa [6]).

Cui versui in codice saeculi XIII^i haec glosa subscripta est:

1) Not. et Extr. XXII 2, 18 sqq. 235 sqq.

2) Den tredje og fjærde grammatiske afhandling i Snorres Edda ed. Björn Magnússon Ólsen III 15, 4 (p. 92 coll. p. 23, 16). 15, 6. 8 (p. 93 coll. p. 23, 22). 15, 12 (p. 65 coll. p. 24, 1). 16, 3 (p. 101 coll p. 26, 2).

3) De Pylade Alexandri contemptore eiusque Carmine scholastico dixit Reichling das Doctrinale des Alexander de Villa-Dei (Mon. Germ. paedag. XII) p. LXXV. LXXXVII. Ipse vidi in bybliotheca Francofurtensi 'huius opusculi tertiam impressionem a duabus prioribus differentem' (quae verba ex praefatione desumpsi) factam 'Taurini per magistrum Franciscum de Silua a. 1509 die IV mensis Aprilis'. Eiusdem Francisci opera eodem anno editae sunt 'Piladae in Alexandrum de Villa Dei annotationes' die XXIII m. Aprilis quibus auctor illa de Alexandri auctoritate et in scholis usu praefatus est quae in contextum recepi, Pyladae grammatica (dicitur adornata ad exemplum Guarini Institutionum grammaticarum) die XIII m. Aprilis, paucis annis post, a. 1512 die 24 m. Maii, Pyladae Vocabularium (adnexo libello Georgii Vallae de orthographia).

4) Cf. etiam Thurot Not. et Extr. XXII 2, 465.

5) Velut v. 2366. 2384 *tantologia*, 2448. 2484 *ometelenton* (sive *omotelenton*), 2545. 2559 *antismos* scribenda erant, quandoquidem sic ipsum Alexandrum scripsisse certissimum est. De *antismos* (pro *astismos*) *omotelenton* v. Thurot l. l. 87. 453. 465.

6) Eberhardi Bethuniensis Graecismus ed. Ioh. Wrobel v. 53 sq. Duo codices habent *epanalemsis* (s. *epanalensis*).

Dicitur ab *ana* quod est sursum, et *apos* quod est re et *lempsis*, quod est sumptio, quasi dictionis superius posite resumptio. Et differt ab *epinalempsi*, quia *epynalensis* vult repetere solum dictionem in fine versus, que posita fuit in principio eiusdem, *anapolensis* vero potest multotiens repetere dictionem positam in principio clausule et in fine eiusdem, tam in metro quam in prosa; *epynalensis* vero habet fieri in versu tantum'[1]).

Ex Iohannis Ianuensis Summa enotavi *prolensis silensis epanalensis vel epinalensis metalensis* quae in praemisso grammatices compendio leguntur, in ipso glossario repetitur suo loco *metalensis*: quae omnia Iohannes Gutenberg recepit nihil mutata. E Vocabulario Ex quo Francofurtensi [Praedicatorum nr. 1737, anni 1429][2]) notavi *epinalemsis metalempsis;* in Interpretationibus alteri volumini [Praedic. nr. 1986, anni 1456][3]) adnexis inveni *prolemsis*, cuius loco in Salemonis Glosis Augustanis scribitur *prolempsis*. Nec deseruerunt hanc scribendi consuetudinem Glosae in Doctrinale quae manu scriptae extant et earum quas ars typographorum recens inventa evolgavit vetustiores.

De Glosa Admirantes (saec. XIII)[4]) auctor mihi est Thurot[5]), in glosa Ladaviani typis descripta quam Francofurti evolvi[6]) ipse legi *prolempsis*, in commento Ludovici de Guaschis qui eiusdem bybliothecae est[7]) deprehendi *prolempsis* (ad v. 1125 ubi textus Alexandri *prolemsis* habet) *prolēsis* (*prolēpsis*) *silēsis* (*sylēpsis*) *epinalensis* iuxta *metalepsis* vel ter repetitum cui neglegentia typographi lineolam detraxisse videtur. Mira inconstantia insignis est editio Doctrinalis quam cum in bybliotheca Francofurtensi inspexissem in amplissimo editionum catalogo egregia Reichlingii diligentia confecto frustra quaesivi; descripsi in calce paginae quantum ex iis potui quae in meum usum brevissime adnotaveram[8]). Habet autem illa editio primo Alexandri libro *prolemsis* [Q 6] ex genuina ipsius auctoris consuetudine[9]) quarto tamen *prolepsis silepsis epanalepsis metalepsis* [Z 8. 11] opere scilicet progrediente amplexa usum novicium quem ceterae editiones quotquot adii sequi solent ad unam omnes et primo libro et quarto.

Vidi Marpurgi quas Reichling numeris 116. 124. 128 (141). 193, Francofurti quas numeris 26*. 35. 36. 38. 55 (I. II). 60. 82 (part. III. IV). 144. 146. 170. 188*. 228. 244 insignivit, Daventriae Argentinae Ulmae Coloniae Basileae Tubingae annis 1484—1516 impressas. Accedunt quod post nr. 182* catalogo inseras 'Opus minus secunde partis Alexandri introductorium ad opus maius — per Guilhelmum

---

1) Thurot l. l. 27. 476.

2) V. supra p. VI. n. 5.

3) V. supra p. VI sq.

4) Thurot l. l. 33. Reichling p. LXII.

5) l. l. 466. 469 n. 1 (*prolempsis* 250. 260. 266 sq. ubi et *prolempticarum constructionum*, *silempsis* 298. 302. 347). Idem ex aliis libris grammatici argumenti saeculo XIVo scriptis *prolensis* et *prolemsis* attulit p. 40. 49 ex.

6) Cf. Reichling p. CCCIII.

7) Descripsit Reichling p. CLXXVI nr. 14 qui librum c. a. 1480 impressum esse existimat, de commentario v. p. LXIII.

8) 'Diversi libelli in unum collecti scilicet Donatus minor Remigius dicta puerorum super donato Donati minoris editio Regule grammaticales regimina et constructiones. Textus prime secunde et tercie partium Alexandri Regule de nominum generibus Libellus de compositione metrorum. Epistole breves mediocres et longiores pro baccalariandis et aliis Textus parvuli modernorum. Tractatulus maulfelts de suppositione' cett. 'Multum utiles studentibus ceterisque in artibus proficere volentibus' cett. Desinit liber in haec: Amen anno CXIIII.

9) Eandem formam ('*prolemsis* est duplex sc. locutionis et constructionis') legi in opusculo grammatico (sine l. et a.) quod incipit ex his: 'Oratio congrua est vox significativa'. Ex Alexandro qui diserte laudatur totum pendere videtur. Cf. Boeckingii Ind. biogr. et onom. 298.

Zenders de Werdt collectum, procusum in impressoria chalcographia quondam Henrici Quentell anno post Iubilaeum quarto ad medium Augusti' et liber post nr. 244 addendus quo comprehenduntur, 'per Matthiam Hupffuff mense Februarii anno MDXVI' impressa, 'Hermanni Torrentini inter grammaticos nostre tempestatis viri doctissimi commentaria in primam partem Doctrinalis Alexandri cum vocabulorum interpretatione, quibusdam mendosis supervacaneis et obscuris versibus vel reiectis vel in veriores et planiores mutatis, demum diligenter ab auctore recognita' et 'Commentaria clarissima in secundam partem doctrinalis Alexandri ab eruditissimo viro Kempone Thessaliensi Hollandiae, magistro bonarum artium Parrhisiensi pro anhelantibus syntaxim potissimam grammaticae speciem funditus intelligere, exactissime in lucem edita'. Utrumque exemplum in bybliotheca Francofurtensi adservatur.

7. Omnes quas modo recensui editiones conspirant de scriptura *-lepsis* [1]), ut tamen hac scribendi ratione ab usu et consuetudine superiorum sese discessisse omnes fere disertis verbis indicent. Ut ordinem sequar retrogradum — singulis autem interpretibus adscribam annum vetustissimae quae quidem Reichlingio cognita est editionis —, Kempo Hollandus [1505] quem novis humanitatis studiis faventem contra Alexandrum saepius et Ebrardum ab Italorum partibus more novicio eruditorum stare videmus [2]) Doctrinalis versui 1125 hanc notulam adlevit: '*prolepsis*, non *prolempsis* dicitur'. Qua in re quemnam secutus sit auctorem legenti patebit, cum primum brevi spatio intermisso ad versus 1236 sq. pervenerit:

Est ibi synodoche: quando *faciem nigra dentes*
albet; nuda pedes; mulier redimita capillos.

Quibus haec subscripta sunt: 'Synecdoche (ut dixit Ioannes Tortel) prima syllaba cum graeco, sequens cum *c* exili ante *d*, ultima *ch* aspirato scribitur. Alexander vero et Eberhardus corrupto vocabulo legunt *synodoche*, ut patet in textu'. Eundem Tortellium Italum laudavit auctorem Batavus cuius commentarii tamquam putidam medii aevi barbariem redolentes ab humanarum artium propugnatoribus qui emerentur et legerentur prorsus indigni censebantur [3]), Guilhelmus Zenders de Werdt [1493] [4]), cum ad Alexandri versum 1125 adnotaret: 'Hic adverte quod secundum Ioannem Tortellium *prolepsis* scribi debet per *p* et non per *m*'. Cui convenit cum 'Glosa notabili' Coloniae natae [1588] quam cum Epistolae Virorum Obscurorum saepius sale nigro perstringant tum Hermannus Buschius in Vallo humanitatis potius cacabilem dicendam esse iocatus est. Glosae auctor,

1) In 'Comoedia de optimo studio scholasticorum' Henricus Bebel inducit adolescentem 'qui cum frequentaverit omnes scholas triviales quae vulgo particularia nuncupantur quaeque celebres habentur per Germaniam Ulmae, Zwickaviae, Svollis et Daventriae cupit iam proficisci ad gymnasium aliquod universale'. Adolescentis qui ex Alexandro similisque generis libris institutus erat sermo prorsus barbarus; tamen eum Bebel non *prolemsis*, sed *prolepsis* fecit dicentem. Unde ineunte saeculo XVIo per omnes Germaniae scholas hanc noviciam pronuntiationem fuisse receptam apparet. Epistula enim qua auctor comoediae praefatur data est 'ex Tubinga Idibus Novembris MDI'.

2) In praefatione commentarii reprehenduntur qui *Christophorum* dicunt *Cristoferum*, nominis *Isidori* antepaenultimam, contra vocabulorum *hypocrita hypocrisis* ictu efferunt paenultimam. Ibidem leguntur haec: '*Soloecismus* est dictio quadrisyllaba non pentasyllaba, ut voluerunt Ebrardus et Alexander, secunda syllaba habet diphthongum *oe*'.

3) Reichling Doctr. des Alex. LXVII n. 2.

4) Johannes Mueller Quellenschr. und Geschichte des deutschsprachlichen Unterrichtes 245 sq.

Gerardus de Zutphania (a. 1505 rector universitatis Coloniensis)[1], qui Viris Obscuris 'profundus grammaticus et bene melior quam isti novi grammatici poeticales'[2], Buschio contra visus est vel Alexandro insulsior, quae in eandem sententiam de scriptura vocis *prolepsis* duce Tortellio disseruit, vix ipse utpote ab universo hoc studiorum genere ab Italis auspicato alienus ex Tortellii libro sublegit, sed potius retinuit a superiore quodam Alexandri interprete accepta.

Quod recte coniectum esse ipsae Gerhardi notulae docebunt paullo accuratius examinatae. 'Queritur quid est *prolepsis*. Dicendum est preacceptio alicuius totius grammaticalis cett. — Est enim *prolepsis* nomen grecum et dicitur a *pro* quod est pre et *lepsis* acceptio quasi preacceptio alicuius totius grammaticalis accepti ante suas partes'. Quae verba brevi intervallo excipiuntur his: 'Queritur ex quo vacillant iuvenes circa hoc nomen quod huic figure convenit. Quoniam est secundum veritatem scribendum. Scilicet secundum Iohannem Tortellium debet scribi *p* et sine *m* ut dicendum est *prolepsis* et non *prolempsis*. Et hoc patet ex ipsius nominis interpretatione, dicitur enim *prolepsis* a *pro* quod est pre et *lepsis* acceptio quasi preacceptio'. A limine apparet inspicienti has notas absona repetitione molestas non ab uno interprete profectas esse, sed transscriptas ex duobus commentariis satis inepte coniunctas.

Inter Glosae notabilis auctores primarios praeter Henricum de Colonia cui ipsum 'notabilis' nomen deberi Boecking docuit etiam magistrum Iohannem Synthen fuisse constat[3]) Alexandri Hegii Westphali scholae Daventriensis rectoris tunc temporis merito celeberrimi amicum et collegam; quorum utroque Erasmus Roterodamus praeceptoribus usus est. Hic quamquam multis annis post iusto fortasse iniquius de schola Daventriensi existimavit, tamen ipse sese in illo ludo admodum puerum praeter latinam linguam et graecae tunc quidem in ceteras scholas nondum admissae prima elementa didicisse testatus est atque 'Alexandrum Hegium et Zinthium coepisse aliquid melioris litteraturae invehere' praedicavit[4]). Eodem pertinet quod nonnullis Alexandri editionibus quae ex officina Richardi Paffraed Daventriensi procul dubio in ipsius Daventriensis scholae usum prodierunt paucula Graeca quasi adspersa sunt, a. 1487 alphabetum Graecum, 1488 vocabulum *τέλος*[5]).

---

1) Boecking Ulr. Hutteni operum supplem. II 473 s. v. Sotphi.

2) Ep. Vir. Obsc. vol. I 5 (p. 10, 14) 19 (p. 29 sq.).

3) Joh. Müller Quellenschriften 268 n. 90. Reichling p. CXCII nr. 51. 'Dictis Sinthis super prima parte Alexandri' subscripta sunt haec [Reichling nr. 26*. 36]: 'Explicit feliciter exemplorum textus prime partis Alexandri cum equivocationibus synonimis et versibus differentialibus ex Iohanne de Garlandia Grecismo Henrico de Colonia Catholicon Brachilogo et ex quam pluribus aliis autoribus breviter et plane collecte cum difficilium textuum sententiis et notabilibus secundum dicta Pristiani et Ioannis Synthis omnem difficultatem et controversiam resecantibus diligenter annexis'. Quae fere iterari video in calce 'Glosae notabilis in primam partem' [nr. 116. 156 cett.]. Hinc facile usu venire potuit ut quidam Glosam notabilem ipsam Iohanni Synthen perperam tribuerent. Quorsum spectare mihi quidem videntur a Reichlingio (De Ioannis Murmellii vita et scriptis 8 n. 11. Monatsschrift für rheinisch-westfälische Geschichtsforschung und Alterthumskunde III 301 n. 4) parum intellecta Torrentini verba: 'Quae maxime et in usu et pretio habentur Alexandri glossemata atque viro doctissimo Ioanni Synthen falso ascribuntur, quot erroribus scatent, quot deliramentis referta sunt!'

4) Kaemmel, Erasmus in Deventer, Neue Jahrb. für Philologie und Pädagogik CX 312 sqq.

5) Reichling nr. 40. 45. Quamquam mirum est alii Daventriae typographo Iacobo de Breda ne anno 1505 quidem typos graecos praesto fuisse quibus verba *λεξικὸν κατὰ στοιχεῖον* describere posset. Nam in Elucidarii a Torrentino compositi praefatione illis plane omissis ridicula hiat lacuna in hunc

Hegium et Synthenium quos consociata opera in Doctrinale commentatos esse testis satis locuples adserit[1]) mediocrem certe graecae linguae scientiam prae se tulisse laudibus constat quibus tamquam utriusque linguae praeclari interpretes tunc efferebantur[2]).

Hegium Novum testamentum Plutarchi vitas et Convivium patres nonnullos graece legisse audimus. Cuius linguae scientiam quanti fecerit exposuit carmine quo omnibus grammaticam mathesin historiam sacram scripturam intellegere cupientibus ut graece discerent enixe suasit:

Artes ingenuae Graio sermone loquuntur. —
Ut recte scribas non prave discito Graece.
Si Graece nescis corrumpis nomina rerum[3]).

Et in dialogis quos post obitum praeceptoris volumine anno 1503 emisso Faber comprehendit[4]) saepissime Hegius vocabula graeca adscripsit (mendis tamen crebris ut videtur typographi culpa obsita), hinc inde barbarismum eorum insectatur et corrigit qui graeca et latina pronuntiando corrumpunt. 'Orthographiam insuper nescientes fraudatores sunt. Fraudant enim vocabula aut debitis litteris aut debito sono. Grammatica itaque est necessaria omnibus his qui nolunt fraudare vocabula. Qui teutonica vocabula fraudat litteris aut sono legitimo ab omnibus deridetur. Latinorum vero profecto vocabulorum corruptores nullas culparum suarum penas dant, usque adeo numerosa multitudine sunt. Licet non minus dignus sit immo magis qui ab omnibus derideatur qui latina nomina fraudat aut legitimo sono aut litteris debitis quam is qui teutonica nomina hisce fraudat. Quomodo rursus is qui teutonica verba corrumpit ridiculum se facit. Quomodo Teutones cum gallica verba sermoni suo miscere volunt ea plerumque corrumpunt, ita etiam Latini cum graeca suo sermoni. Bene loquitur qui neque barbarismo neque soloecismo neque vitiosa catachresi sermonem suum viciat'. Haec in Hegii contra modos significandi Invectiva; in Farragine praecepit idem de scriptura vocabulorum *grammaticae* cui multi alterum *m* detrahere consuerant et *methodi* cuius *o* qui in *a* corrumpunt barbarismi convincuntur. Si quae incidit dubitatio de ratione scribendi, velut in *dialectica*, sive de etymo, velut in *phalera*, consulitur Tortellius qui quanta apud Hegium frueretur auctoritate disertissimis verbis Invectivae fine ipse indicavit ubi Tortellius 'approbatissimis grammaticis M. Varroni Festo Nonio Marcello' accensetur. Adeo ex hac Hegii existimatione et universa ratione, ut eundem audire videaris hominem, dicta sunt quae Ioannes Synthen Doctrinalis interpres [1487] de vocabulo *prolepsis* disseruit: '*Prolepsis* grecum nomen est significans id quod preacceptio; *pro* enim pre dicitur et *lepsis* acceptio. Qui dicunt *prolempsis* barbarismum faciunt sicut qui *sylempsis* dicunt duos barbarismos faciunt: dicitur enim recte *syllepsis* cum duplicato *ll* et sine *m*'.

---

modum: 'ex greco item vocabulario fratris Ioannis Castroni Carmelite quod inscribitur'. In eiusdem libelli editione Coloniensi a. 1505 graeca latinis litteris reddita sunt LEXIKON Katafti Chyon, graece scripta vidi in editione Argentinensi anni eiusdem.

1) Butzbachius Hegii discipulus qui et Piemontanus vocatur (Boecking Ind. biogr. et onom. p. 473 s. n. Sinthen). Reichling Das Doctrinale des Alexander p. LI. LXV (editionem Daventriensem anni 1487 quam ab ipso Hegio curatam esse idem coniecit p. CLXXXVII sq. nr. 40 ego non vidi).

2) De Hegii eruditione graeca accurate exposuit Reichling Monatsschrift für rheinisch-westfälische Geschichtsforschung und Alterthumskunde III 287—290. Zinthius pueros grandiores natu in schola Daventriensi ita solebat instituere ut Erasmus (id quod ipse testatur, Kaemmel l. l. 317) ex illis collusoribus quibus aetate tunc inferior erat 'primum caperet odorem melioris doctrinae'. Classes infimae quibus Daventriae Erasmus adscriptus erat latine etiam tunc discere pergebant ex Ebrardi Grecismo similisque farinae libris consuetudine medii aevi adeo probatis ut ne prudentissimorum quidem virorum consilio nisi pedetemptim sensimque scholis eici possent. Kaemmel l. l. 312 sqq. Joh. Müller Quellenschriften 248.

3) Zeitschrift für westfälische Geschichte und Alterthumskunde XXI 345.

4) 'Alexandri Hegii artium magistri Gymnasiarchae quondam Daventriensis philosophi presbyteri utriusque linguae docti Dialogi'. In fine haec leguntur: 'Impressum Daventriae per me Richardum Pafraet anno domini MCCCCCIII in profesto circumcisionis domini'. Utor exemplo Marpurgensi.

Daventriensium igitur magistrorum auctoritate quam in puerorum institutione ad rationem saniorem revocanda pertinuisse etiam ad res orthographicis multo graviores notum est videtur factum, ut vel Colonienses novarum rerum prae ceteris osores in horum vocabulorum scriptura ab usu vetustate sancto et legitimo desciscerent [1]) insigni quodam casus ludibrio saeculo obtemperantes in re perversa, in multis aliis iisque gravioribus barbariem foventes inveteratam. Nam Daventrienses quamquam hanc sibi imposuerant supremam legem ut vocabula latina plane et scribenda et pronuntianda et construenda censerent quomodo inter veteres grammaticos convenisset ut vel scriberentur vel pronuntiarentur vel construerentur [2]), tamen in orthographicis Italorum auctoritate quam iudicio perverso, sed illi aevo facile condonando vetustis grammaticis aequiperabant magno opere decepti sunt. Sed de hac re mox plura, postquam paucis Tortellii a Daventriensibus ad testimonium vocati renovaro memoriam hodie, licet in nonnullis cum illo caecutire pergamus, oblivio paene obrutam [3]).

8. Ioannis Tortellii Arretini, papae subdiaconi et cubicularii, commentariis grammaticis de orthographia dictionum e Graecis tractarum ipsius patroni Nicolai V Pontificis Maximi nomini inscriptis, qui primum anno 1471 prodierunt compluriens exinde typis repetiti [4]), et laudi fere dandum et vitio videtur tribuendum esse, quod quae in orthographia latina hominum graece doctorum opera saeculo XVo cum ad pristinum usum revocata tum a legitima Romanorum consuetudine deflexa erant mox omnium gentium applausu excepta sunt. Neque enim vana et inania de Arretino illustri cuius quicunque illo tempore mentionem iniciunt eximiis laudibus de orthographia libros prosequi solent [5]) Vespasianus Florentinus auctor coaevus his verbis praedicavit: 'Di questa opera n'acquistò per t u t t o il m o n d o grandissimo onore, e songli molto obligati tutti quegli che hanno a imparare la lingua latina' [6]). Quae confirmari praeclare vidimus testimonio Daventriensium honorificentissimo [7]).

---

1) Ad eandem normam in Glosa notabili etiam alia correcta videmus velut *synaloepha* (pro *synalimpha* quam formam Reichling Alexandro merito reliquit). At non obsecuti Colonienses sunt in *synecdoche* quod Synthen ipso versu reluctante Doctrinali intulerat, nec *l* consonam in *sylepsis* geminarunt, quandoquidem prima syllaba Alexandro pro correpta est. Singularum editionum in his discrepantiae non indignae sunt quae adtendantur. Nam quod in Glosa notabili Basileensi anni 1491 [Reichling nr. 82] *syllepsis synechdoche* scribitur, hac in orthographicis discrepantia per se levi tamen optime illustratur quam diverso animo nova humanitatis studia in altera utra urbe excepta sint.

2) Verba sunt Hegii.

3) Quamquam non praetermisit recteque descripsit Tortellii operam Voigt Wiederbelebung [3] II 94. 375. V. etiam Brambach Neugestalt. der lat. Orthographie 58.

4) Utor exemplo Marpurgensi impresso Tarvisii a. 1477 postridie Kalendas Aprilis, cui menda sat multa typographi incuria inlata videntur. Francofurti alterum vidi 'impressum Venetiis per Bartholomeum de Zanis de Portesio a. 1501 die vero XXV mensis Augusti', cui inscribitur 'Ioannis Tortelii Arretini orthographia' et adnexa est 'Lima quaedam per Georgium Vallam tractatum de orthographia'.

5) Tortellium 'libro de orthographia peritissime conscripto pontificis gratiam meruisse' Aeneas Sylvius auctor est Europ. c. 59, 'Aretinam urbem Ioanne Tortellio cuius praeclarum de orthographia opus verba latina e Graecia sumpta edoceret decoratam esse' pronuntiavit Blondus Ital. illustr. 309 A.

6) Ang. Mai Spicil. Roman. I 660.

7) Vide etiam quae p. VIII n. 5 de Petro Mosellano dixi. Tortellius revera praecipit *liptote* scribendum esse.

Quamquam Tortellium in emendanda scribendi ratione minime res plane novas egisse, sed potius quae tunc fere Italorum doctus consensus probaret in commodum legentium usum (adscriptis veterum locis selectis quibus simul res mythologicae et historicae illustrarentur) apte composuisse certum est. Qua in re ita sese gessit ut medium quendam locum obtineret neque inexorabili omnia rigore ad Graecae (vel ut rectius dicam Byzantinae) consuetudinis normam exigi iuberet, sed nonnulla (licet pauca essent) ab hac norma discrepantia latino usui vetustate commendato et stabilito condonaret. Unde in quibusdam vocabulis facta est grammaticis paulo recentioribus potestas in orthographia latina et emendanda et depravanda vel ultra Tortellium progrediendi.

9. Tortellium de vocis *prolepsis* scriptura praecepisse ex Daventriensibus quod audivimus comprobatur commentariis quos etiam hodie licet evolvere grammaticis. Ubi suo loco in ordinem recepta apposito graeco λῆψις illustrari videmus *epanalepsis prolepsis syllepsis* quibus quartum accedit nomen *epilepsiae* hac nota expositum: '*Epilepsia* cum *i* latino utrobique et unico *l* atque *ps* immediate post *e* scribitur. Nonnulli vero imperite magis quam ex sensu interponunt *m* et dicunt *epilempsia*' e. q. s.

Qui hoc loco imperitiae arguuntur usum vere et unice latinum retinuisse censendi sunt, quem adversarii prava ratione inducti cum restituere sibi visi sunt deseruerunt: dum alienos errores (ut ait sHieronymus) emendare nituntur, ostendunt suos. Deprehendimus in uno exemplo ingentem illum errorem quo Itali docti et ipsi decepti sunt et ad hunc usque diem philologos deceperunt universos: quod altera huius commentationis parte etiam clarius patescet.

Itali enim graece docti cum linguae latinae peregrina vocabula Graecorum scribendi consuetudini accommodanda esse sibi persuasissent, multis quidem situm et squalorem longa barbarie obductum feliciter absterserunt, tamen cum summo grammaticae damno nec satis rationem habuere propriae sermonis latini indolis qua in vocibus e Graecia accersitis fieri potuerit ut nonnulla ex graeca forma immutarentur [1]) et scribendi usum eum quem a Byzantinis acceperant re incognita tamquam omni numero verum genuinum vetustum amplexi sunt [2]). Qua in re eos satis inconsiderate et ut ita dicam superstitione quadam occaecatos egisse quamquam hodie concedendum est, attamen si linguae graecae cognitionem et grammaticae rationem universam qualis tunc fuerit aequo iudicio expendas, res vix aliter potuisse cadere haud infitiaberis in hominibus praesertim qui cum barbarum medii aevi sermonem merito abominarentur proclivi errore ad iniustissimam omnium rerum

1) Hinc *epistola* ut scriberetur suaserunt Tortellius et Aldus Manutius Paulli f. in Orthographiae ratione (Venetiis 1566) p. 299. Nec dubitavit Aldus quin ex etymo graeco consequeretur necessario latine non posse dici nisi *antlare* p. 43 nec veritus est Romanis *Massanisa* p. 516 obtrudere.

2) Aldus Manutius lites orthographicas saepissime diremit 'graeca consuetudine' cuius de fide prius quaerendum esse quam auctoritate uti liceret omnino non intellexit. Ne de iis quidem rebus quas Byzantinorum erroribus saepissime perturbatas esse constat, de diphthongo αι et de spiritu, fidem denegavit 'graecae consuetudini' nisi bis terve latini usus constantia quasi oppressus (360 *Hadrianus*, 382 *Hannibal*, 542 *Murena*). Hinc Aldum qui saeculo fere post Tortellium quae de orthographia collegerat in medium protulit universa ratione cum illo fere non discrepasse patet, quamquam Aldi librorum lapidumque usum accuratius perscrutati operae meritas laudes detrahere velle esset iniquius.

cum illius aevi memoria coniunctarum despicientiam et contemptionem prolapsi erant[1]. Nam quis crediderit Byzantinos illos per Italiam passim litteras graecas profitentes cum latine dicerent et scriberent — et erant quos vel Italorum sententia in elegantissimis scriptoribus latinis numeraret — unquam usurpasse formas ab ipsorum consuetudine vehementer abhorrentes qui iis non poterant nisi detestandi barbariei fetus videri? Et Italos illis obsecutos esse quis mirabitur? An non Graecorum erat de graecis existimare? Quorum in rebus ad linguam graecam pertinentibus auctoritatem quis tandem potuit in disceptationem serio vocare tempore illo quo codices vetustissimi nondum excussi, incorrupta lapidum testimonia nondum explorata erant? At hodie constat libris interim excussis titulisque exploratis quamplurimis tantum abesse ut latinae formae medii aevi usu probatae secundum Graeculorum consuetudinem utique corrigendae fuerint, ut graeca exemplaria emendari haud semel et possint et debeant ratione prorsus contraria ex latinis. Quod nunc satis habeo uno illustrasse documento sed eo insigni.

10. Nomini *Trogodytarum* sermonis latini genuina consuetudo usque ad quintum decimum saeculum liquidam denegavit; de qua re convenit 'Gemmae Gemmarum' cum Reuchlinii 'Breviloquo' ubi mira originatio additur: 'Trogoditae ideo dicti quia adeo veloces sunt ut feras cursu pedum assequantur'. Somniasse vides qui talia excogitarit ineptissima de vocabulorum *trochaeus trochus* (*τρέχειν*) similitudine: unde de forma quae mox Tortellio placitura erat *Troglodytae* nihil illi suboluisse consectarium est. Assentiuntur Plinii Solini aliorum libri quorum consensus novissimis tandem editoribus extorsit ut *Trogodytae* in contextum verborum reciperent[2]. E contra Iosephi codices graeci conspirant de scriptura *Τρωγλοδύται*, cum interpres latinus constanti usu liquidam omiserit (Antiqu. I 239. II 213. 259). Utra memoria fide dignior videatur si quaesieris, Latinum sequi praetulerim, quandoquidem facillime potuit fieri ut Graeci graecum vocabulum ad etymi perverse excogitati et appellativi ab Aristotele ut videtur novati *τρωγλοδύται*[3]) similitudinem deflecterent: *Τρωγλοδύτας* enim nomen invenisse a voce *τρώγλη* ut vere essent *τρωγλοδύται* legitur apud grammaticos[4]). At coniectura nihil opus est, ex quo Puchstein[5]) praeeuntibus Letronnio et Dindorfio[6]) gentis vocabulum vere graecum fuisse *Τρωγοδύται* comprobavit allato titulorum aegyptiorum incorrupto testimonio. Nec dubito quin Iosephi interpres in libris graecis qui tunc circumferebantur (saeculo sexto) formam legerit nondum depravatam quam Hieronymo quoque probatam fuisse certum est[7]), tametsi Graecorum pars falsam

1) Eo usque paene perventum erat ut docti litteratique hominis videretur 'usum suae aetatis contemnere'. Legas velim quae Pontanus (de aspir. libr. I f. 33 a) contra Leonardum disseruit formis *michi nichil* (praepostere sane) patrocinatum. Voigt[3] II 375.

2) Letronne Rech. sur Dicuil 77. Addas Amm. Marc. XXII 8, 43. Chron. min. I 166. 168 Mo. Iul. Val. 159, 9 Kuebl.

3) Aristot. h. an. VIII 12. IX 1.

4) *Τρωγλοδύται· οἱ εἰς τὰς τρώγλας οἰκοῦντες* Hesych. (Suidas).

5) Epigramm. graeca in Aegypto reperta 53. Addas *Τρογοδύτης* Rev. de études gr. IV 52 nr. 39.

6) Recueil des inscr. égypt. II 247. Dindorf Diod. v. V p. XIII. Fleckeisens Jahrb. 99, 124. 815.

7) Dindorf l. l. 815. Hebr. quaest. in libro Geneseos ed. de Lagarde 39, 8 codicum fide praestatur *Τρωγοδύτιν* quod editor non debuit proprio Marte in *Τρωγλοδύτιν* corrumpere (cf. *troglitae* Onom. sacr. 4, 27. 22, 4 Lag., cuius loco Hieronymus *Troglodytas* dixisset, si formam probasset).

originationem amplexa iam tertio post Christum natum saeculo nomini Trogodytarum labda intrudere coeperant[1]).

11. Quae cum ita sint[2]), non iam dubitari poterit, quin Itali cum latinam orthographiam emendare susciperent in graecis certe vocabulis viam ac rationem inierint summo opere improbandam. Quos tamen in multis hodie sequi solemus plerumque inscii. Nam quamvis nostra et patrum memoria a viris doctissimis haud pauca in orthographia latina titulorum ope et exploratione codicum praeclare emendata sint, tamen quaestionem gravissimam de fundamento consuetudinis hodie obtinentis quod nec ratio substruxit nec traditio sed Italorum arbitrium et existimatio de Byzantinorum auctoritate superstitiosa, de medii aevi usu iniquissima nemodum attigisse videtur. Hinc evenisse ut omnes pro vere latinis habeamus quae nulli unquam Romano exaudita sint postea docebo, sed interim tempus est redire in viam ut novatae vocum *prolepsis epilepsia* scripturae fata cognoscamus.

12. Grammaticos qui in Italia humanitatis studiis addicti novis compositis artibus 'barbarorum regem, iuventutis corruptorem' Alexandrum Gallum regno deicere et ex scholis proturbare adnisi sunt mox et Hyperboreis applaudentibus, Sulpicium Verulanum, Nicolaum Perottum, Antonium Mancinellum[3]), ut de aliis taceam, cum Tortellio in hac re non discrepasse et per se consentaneum est et fidem faciunt quotquot inspicere contigit illarum artium editiones (quarum vetustissima quam vidi anno 1486 prodiit). Ex illorum auctoritate pendent artigraphi Germani ex quorum numero satis habeo eum ad testimonium excitasse qui agmen duxit[4]) Bernhardum Perger Vindobonensem cuius grammaticae novae 'fere ex Nicolai Peroti grammatici eruditissimi traditionibus translatae studiosissime' duo exempla Francofurti vidi alterum anni 1486, anni nota destitutum alterum sed paulo vetustius: utrumque consentiunt de *prolepsis* simm., quamquam in ceteris artis vocabulis originis graecae usum barbarum (velut in *sinodoche eflexegesis*) retinent. Paucis annis antea Reuchlinum cum Breviloquum ederet deprehendimus taedioso labore defessum in plagulis corrigendis hinc inde velut oculis somnolentis coniventem. Quandoquidem enim non omisit 'emendare' *epanalepsis prolepsis syllepsis* (pro *silensis*) — ut tamen fontis ordine conservato se correctorem apertissimo indicio proderet, nam quod *syllepsis* inter *signum* et *silentium* legitur in hac scribendi ratione omnino non potest explicari[5]) —, paullulum dormitasse censendus est cum *metalensis* oculorum mentisque aciem falleret

---

1) Mommsen Chron. min. I 99a 97. b 72; 101a 132. b 105; 108a 203. b 174. Interpretum de nomine *Troglodytarum* consensione efficitur ut chronographus graecus cuius illi librum latine verterunt *Τρωγλοδύτας* dixisse existimandus sit, sive fuit (quem autumant Du Cange et Mommsen) Hippolytus sive Graecus ignotus, homo certe saeculi tertii.

2) Idem quod de *Trogodytis* dixi etiam in *Clytaemestram, Polyperchontem*, nomen litterae *labda* cadere obiter moneo; *lābdacismus* ego primum inveni in 'Grammatica Nicolai Perotti iam de integro castigata' ('excusa Colonie in officina litteratoria Henrici Quentel a. MCCCCCXII'). Quamquam accuratius exempla non circumspexi.

3) Quos enumerat a. 1501 Bebel in Apologia et in dialogi (s. comoediae) de optimo studio scholasticorum act. I. De Sulpicio v. Reichling Das Doctrinale des Alexander LXXXVI. CVI, de Antonio Mancinello CVII. Cf. etiam Joh. Mueller Quellenschr. 257.

4) Joh. Mueller l. l. 231. 243. 255.

5) Similia etiam alias observari licet, velut in *sphaera* quod inter *spectacula* et *sperma* et in

effugeretque calamum menda tollentem. Nomen *epilensiae* tamen quod et ipsum retinuit haud scio an consuetudini vitae consulto concesserit. Nam artis grammaticae vocabula facilius mutantur quam nomina usu communi probata [1]). Quamquam Italos eruditos ne his quidem manum abstinuisse vidimus: qua in re applausu medicorum graece doctorum qui illo aevo extiterunt ita adiuti sunt ut scriptura *epilepsia* mox superior discederet.

In Papiae Vocabulistae lexici medio saeculo XIo compositi editione Veneta anno 1485 in lucem emissa [2]) usu constanti scribuntur *catalepsia catalepticus epilepsia* (quod nomen addito graeco *ἐπιλειψία* [sic] explicatur) *epileptici metalepsis syllepsis.* Quo cum sententiam meam de medii aevi consuetudine scribendi aperte redargui primo obtutu opinatus essem, mox tamen editionem accuratius inspectam animadverti retractationis vestigia prae se ferre manifestissima, adscripta enim frequentius quam ex saeculi undecimi more vocabula graeca eaque litteris graecis consignata et s. v. *Carite* appositos complures versus Hesiodeos vix quisquam sibi persuadebit ab ipso auctore profectos esse. Qua in re mihi convenire cum scito Haasii iudicio [3]) postea cognovi. Sed cum Loewe quamvis Papiae codices sua manu versasset de retractatione nihil odoratus esse videretur [4]), de librorum lectione certior fieri vehementer cupii cui desiderio nulla mora interposita Wuenschii egregia humanitas plene satisfecit. Cum enim in Vaticana codd. Reg. lat. 1482 saec. XIV et Ottobon. lat. 2231 saec. XIV inspexerit, testis mihi est in neutro s. *Carite* versus Graecos adscriptos esse nec lacunae ullum indicium apparere et in cod. Reg. extare *catalēpsia catalempticorum epilempsia epilenticorum* (omisso graeco nomine *ἐπιλειψία*) *metalensis silempsis*, in Ottobon. *catalepsia* (*passio epilenticorum*) *catalenticorum epilempsia* (omisso nomine graeco) *epilenticorum metalensis silēpsis.* Quin in Ottob. vocabulo *catalepsia* lineola detracta sit mero errore, nemo dubitaverit. Ergo qui Papiam edidit audaci manu interpolatum vocabula ex arte medica deprompta attrectare non minus veritus est quam ipse Tortellius.

Nec desunt similia emendandi tentamina illo tempore in libris non grammaticorum sed medicorum usui destinatis. Velut iam in canonis Avicennae editione Venetiis per Baptistam de Tortis a. 1492 impressa ubique *epilepsia* legitur; qua forma inde a saeculo sexto decimo omnes omnium gentium physici tam insigni consensione usi esse videntur, ut iam pridem ex vulgarium linguarum consuetudine nasalis legitimae penitus eradicatae sint reliquiae. Quotquot hodie medici Germani Galli Hispani *epilepsiam* dicunt se philologorum saeculi XVi errore deceptos teneri ignorant. Necdum ad hunc usque diem extitit medicorum latinorum editor qui vetustos illos auctores fecerit suo (non editoris) more id est latine loquentes.

buphthalmon quod inter *bustura* et *butanicum* legitur. Scilicet medio aevo *speram butalmon* dicebant, non *sphaeram buphthalmon* quas formas qui revocavit Graecorum discipulum sese professus est.

1) Hinc factum ut Iunianus Maiius Parthenopeus qui in multis Tortellium secutus est cum in *prolepsis* ab usu descisceret ad hominum litteratorum decreta, tamen *epilensia* retinere praeferret. Vicit enim, ut ait Pontanus de aspiratione libr. I f. 3 b, in quibusdam consuetudo cui necesse est ut docti etiam homines quamquam inviti assentiantur.

2) Venetiis per Andream de Bonetis de Papia a. 1485 die ultimo Iunii.

3) De medii aevi studiis philologicis 32 not. qui eadem editione usus esse videtur.

4) Prodrom. 238. Loewio praesto fuit et ipsi editio Veneta a. 1485.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, theologorum ordinis h. a. decanus, 1) *publice* in seminario theologico *exercitationes systematicas* moderari perget; 2) *privatim a) theologiae dogmaticae priorem partem* tradet quater per hebd. h. XI, *b) theologiam ethicam* docebit quater per hebd. h. XII.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, academiae h. a. rector, 1) *privatim theologiam biblicam Veteris Testamenti* docebit quinquiens h. X; 2) *publice* seminarii theologici *ad Vetus Testamentum spectantes exercitationes* moderari perget die Lunae h. VI—VIII.

ERNESTUS CHRISTIANUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., 1) *privatim a) in theologiae studium commilitones introducet* diebus Martis et Veneris h. VII matut., *b) de Missione interna, quam dicunt,* diebus Lunae et Iovis h. VII matut. disseret, *c) artem homileticam necnon catecheticam* quinquiens per hebd. h. VIII docebit; 2) *publice exercitationes* seminarii theologici *a) ad artem homileticam spectantes* die Mercurii h. III—V, *b) ad artem catecheticam spectantes* die Veneris h. III—V moderari perget.

ADOLPHUS IUELICHER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim a) historiae ecclesiasticae partem primam* enarrabit quinquiens h. VIII, *b) Pauli apostoli epistulas ad Galatas Ephesios Philippenses Colossenses scriptas* explicabit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX; 2) *publice* seminarii theologici *ad Novum Testamentum spectantes exercitationes* moderabitur die Iovis h. VI—VIII.

CAROLUS MIRBT, theol. Dr. et P. P. O., 1) *privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam* quinquiens h. VIII tradet; 2) *publice* seminarii theologici *exercitationibus historicis* praeerit die Veneris h. VI—VIII.

ERNESTUS KUEHL, theol. Lic. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim a) evangelia Matthaei Marci Lucae* explicabit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX, *b) epistulam quae dicitur ad Hebraeos* explicabit diebus Mart. Merc. Ven. h. VII; 2) *publice historiam passionis et resurrectionis Iesu Christi* enarrabit d. Merc. h. IX.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

IOANNES WERNER, theol. Lic. et phil. Dr., 1) *privatissime conversatorium de dogmatum historia* instituet bis per hebd. h. IX; 2) *publice de Schleiermacheri theologia* disseret die Mercurii h. XI.

BERNHARDUS BESS, theol. Lic., *privatim historiam litterarum christianarum veterum* tradet diebus Lunae Martis Iovis h. V.

IOANNES BAUER, theol. Lic., *privatim artem poemenicam et liturgicam* quinquiens h. VIII tractabit.

GUSTAVUS ADOLPHUS DEISSMANN, theol. Lic., seminarii Philippini maior, 1) *privatim Iacobi epistulam* interpretabitur diebus Lun. et Iov. h. VII; 2) *publice exercitationes* seminarii Philippini *ad Novum Testamentum spectantes* moderari perget die Martis h. VI—VIII.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice* disseret *de selectis e iure hereditario capitibus* d. Mercurii h. XII; 2) *privatim* docebit *a*) *historiam iuris privati apud Romanos ex proprio schemate* quinquiens h. XI, *b*) *ius familiae et hereditatum apud Romanos Dernburgio duce* quater h. XII; 3) *privatissime practicum quod vocatur pandectarum* instituet *ex libris de Iheringii Civilrechtsfälle ohne Entscheidung et Jurisprudenz des täglichen Lebens* in seminario iuridico d. Merc. h. VI—VIII.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice institutiones Iustinianeas* interpretabitur hora postea definienda; 2) *privatim a*) *institutiones iuris Romani* quinquiens h. XII, *b*) *historiam processus civilis Romanorum* diebus Lunae et Iovis h. XI docebit; 3) *privatissime* in seminario iuridico *a*) *examinatorium iuris Romani* habebit diebus Martis et Iovis h. VI—VIII, *b*) *artem pandectas Iustinianeas* interpretandi docebit die Martis h. VI—VIII.

IUSTUS BERNHARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., 1) *publice ius cambiale* tradet semel h. X; 2) *privatim a*) *ius Germanicum privatum cum iure feudail, ratione novi codicis Germanici habita*, sexiens h. VII et semel h. VIII, *b*) *ius mercatorium* quinquiens h. VIII docebit.

CAROLUS DE LILIENTHAL, I. U. Dr. et P. P. O., ordinis iureconsultorum h. a. decanus, 1) *publice de ordine iudiciorum imperii Germanici* disseret die Martis h. IV; 2) *privatim processum imperii Germanici* docebit, *tam civilem* diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX *quam criminalem* iisdem diebus h. X; 3) *privatissime* in seminario iuridico *practicum de iure criminali* instituet die Ven. h. VI—VIII.

RUDOLPHUS LEONHARD, I. U. Dr. et P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice de vi erroris in negotiis iuris civilis perficiendis* die Iovis h. V disseret; 2) *privatim* docebit *a*) *elementa iurisprudentiae* diebus Martis et Veneris h. V, *b*) *de novo codice iuris privati Germanici* diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. VII; 3) *privatissime exercitationes practicas de iure quod ad processum civilem pertinet* moderabitur in seminario iuridico die Lunae h. XI—I.

HENRICUS LEHMANN, I. U. Dr. et P. P. O., 1) *publice Germanici iuris historiam illustrantes fontes* die Lunae h. IV explicandos offert; 2) *privatim a*) *iuris Germanici historiam* tradet diebus Martis Mercurii Iovis Veneris h. X, *b*) *ius ecclesiasticum atque ius matrimonii* docebit iisdem diebus h. XI, *c*) colloquia habebit *de iure Germanico privato et mercatorum et cambiali* diebus Lunae Mercurii Iovis h. V.

CAROLUS BERGBOHM, I. U. Dr. et P. P. O., 1) *publice historiam generalem doctrinarum de natura civitatis* tradet die Iovis h. III; 2) *privatim* docebit *a*) *ius publicum Germanicum* quinquiens h. XII, *b*) *ius inter gentes* diebus Lunae Mercurii Veneris h. IV.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GERARDUS ALEXANDER LEIST, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice leges imperii Germanici ad ius civile spectantes* tradet die Lun. h. VIII; 2) *privatim ius pandectarum excepto iure familiae et hereditatum* docebit die Lunae h. IX, diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. VIII—X.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, quid lecturus esset non indicavit.

BERNARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, quid lecturus esset non indicavit.

FRIDERICUS WACHENFELD, I. U. Dr., *privatim ius criminale* docebit quinquiens h. VIII.

CAROLUS CROME, I. U. Dr., tribunalis regii Francofurtensis iudex ordinarius, *privatm de iuris francogallici rhenani parte generali et doctrina obligationum* disseret die Mart. h. III—V.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus generalis secundi ordinis, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* habendum offert semel per hebd.; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater per hebd. h. VI—VII et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen medicam* ab h. X et dimid. ad XII moderabitur.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinum coronae Boruss. III. cl. et aquilae rubrae IV. cl. eques, leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice selecta physiologiae capita* tractabit semel per hebd.; 2) *privatim* a) *physiologiae experimentalis alteram partem* quinquiens p. hebd. h. XI docebit, b) *chemiam physiologicam* quater p. hebd. h. XII; 3) *privatissime* a) *exercitationes physiologicas in usum tironum* una cum Sandmeyero Dr. ter per hebd. diriget, b) *exercitationes et investigationes in usum provectiorum* moderabitur.

FRIDERICUS AHLFELD, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O., instituti clinici obstetricii et gynaecologici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. et Albertini Saxonici I. cl. eques et cruce Ruthen. civ. II. cl. decoratus, 1) *publice demonstrationes et obstetricias et gynaecologicas* moderabitur semel per hebd.; 2) *privatim* a) *de morbis mulierum* binis scholis h. XII disseret, b) *clinicen artis obstetriciae propaedeuticam* moderabitur binis scholis h. VII matut.; 3) *privatissime clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. VII.

FELIX MARCHAND, med. Dr., pathologiae generalis et anatomiae pathologicae P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *publice anatomiam pathologicam systematis nervosi* docebit

die Saturni h. IX et dimid. ad X et dimid.; 2) *privatim anatomiam pathologicam organorum circulationis, respirationis, digestionis et uropoeticorum* tradet a die Lunae ad diem Veneris h. IX et dimid. ad X et dimid.; 3) *privatissime cursum practicum histologiae pathologicae* moderabitur die Lunae Mercurii Veneris h. II—IV.

AEMILIUS GASSER, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes anatomicas* una cum Strahlio prof. moderabitur; 2) *privatim a) anatomiam topographicam* tradet quater per hebd. h. X, *b) histologiam* docebit diebus Martis Mercurii Veneris h. VIII; 3) *privatissime exercitationes microscopicas* una cum Strahlio prof., Zumsteinio Dr. in usum et tironum et provectiorum quater per hebd. h. IV—VI moderabitur.

IOANNES MEYER, med. Dr., pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacologici director, ordinis medicorum h. a. decanus, 1) *publice investigationes* diriget *pharmacologicas* cottidie; 2) *privatim pharmacologiam* tradet quinquiens per hebd. h. V; 3) *privatissime et gratis cursum practicum pharmacologiae in usum tironum* moderabitur die Martis h. II—IV.

ERNESTUS KUESTER, med. Dr., chirurgiae generalis et specialis P. P. O., instituti clinici chirurg. director, Augustissimo principi ab intimis rerum medicarum consiliis, medicus generalis secundi ordinis exercitui aggregatus, cruce ferrea decoratus, aquilae rubrae IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice clinicen ambulatoriam in conclavibus nosocomii aegrotorum* semel per hebd. moderabitur die Iovis h. VII p. m.; 2) *privatim chirurgiae operativae partem primam* docebit ter per hebd. diebus Mart. Iov. Ven. h. IV; 3) *privatissime clinicen chirurgicam* moderabitur quinquiens per hebd. diebus Lun. Mart. Merc. Iovis Ven. h. VIII ad IX et dimid.

GUILELMUS UHTHOFF, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, 1) *publice selecta ophthalmologiae capita* tractabit semel per hebd. die Saturni h. XII; 2) *privatim a) clinicen ophthalmologicam* moderabitur ter per hebd., h. XII diebus Martis et Iovis, h. X et dimid. die Saturni, *b) cursum practicum ophthalmoscopiae* habebit ter per hebd. diebus Lun. Mercur. Vener. h. XII, *c) exercitationes practicas* reget in laboratorio.

CAROLUS FRAENKEL, med. Dr., hygienes P. P. O., instituti hygien. director, 1) *privatim a) causas morborum epidemicorum* tractabit diebus Lun. Merc. Iov. h. IV, *b) exercitationes hygienicas* reget diebus Mart. Merc. Ven. h. V; 2) *privatissime investigationes hygienicas* reget sexiens per hebd.; 3) *publice repetitiones* habebit *hygienicas cum excursionibus* die Sat. h. III.

FRIDERICUS MUELLER, med. Dr. et P. P. O., instituti policlinici director, 1) *publice de infantium morbis* disseret die Merc. h. VI; 2) *privatim a) policlinicen medicam* reget ter h. XII diebus Lunae Mercurii Veneris, *b) propaedeuticen clinicam praecipue de methodis morborum dignoscendorum* habebit cottidie h. III.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. O. H., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis coronae Borussicae III. cl. eques, scholas non habebit.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., ordinis coronae Borussicae IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *privatim theoriam artis obstetriciae* quaternis scholis docebit; 2) *privatissime operationes obstetricias* horis binis demonstrabit; 3) *publice repetitorium morborum genitalium femininorum* semel instituet.

IOANNES STRAHL, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice exercitationes anatomicas* una cum Gassero prof. moderabitur; 2) *privatim a) osteologiam et syndesmologiam* tradet diebus Martis Mercurii Veneris h. XI, *b) anatomiam organorum sensuum* docebit diebus Lunae et Iovis h. X.

ADOLPHUS BARTH, med. Dr. et P. P. E., instituti policlinici morborum auris naso-pharyngis et laryngis director, 1) *publice diagnosticen* bis per hebd. h. x docebit; 2) *privatim clinicen morborum auris, naso-pharyngis et laryngis* quaternis horis tractabit; 3) *privatissime investigationes* in instituto experiendas diriget.

FRANCISCUS TUCZEK, med. Dr. et P. P. E., Augustissimo principi a consiliis rerum medicarum, 1) *publice psychiatriam propaedeuticam* tractabit die Saturni h. II—IV; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur diebus Lunae et Iovis h. V—VII.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr. et P., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, *privatim operationes practicas in arte obstetricia* demonstrabit diebus Lunae et Iovis h. IV.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr. et P., Augustissimo Principi a tuendae sanitatis consiliis, medicus forensis, 1) *privatim* disseret *de morbis cutaneis* h. VII mat. binis scholis; 2) *privatissime cursum vaccinationis* habebit.

OTTO ERNESTUS DE BUENGNER, med. Dr., *privatim a) de fracturis et luxationibus* disseret die Iovis h. II, *b) clinicen chirurgiae propaedeuticam* moderabitur quater per hebd. h. XII.

IOANNES IACOBUS ZUMSTEIN, med. Dr., *privatim anatomiam centri cerebro-spinalis* semel per hebd. tradet.

GUILELMUS SANDMEYER, med. Dr., 1) *privatim physiologiam musculorum* docebit die Lun. h. XII; 2) *privatissime exercitationes physiologicas* in usum tironum una cum Kuelzio prof. ter per hebd. diriget.

ARTHURUS BARTH, med. Dr., 1) *publice de herniis* disseret die Martis h. II; 2) *privatissime cursum practicum operationum* habebit diebus Martis et Veneris h. V, die Merc. h. IV.

IULIUS WITZEL, instituti odontiatrici director, *privatim a) clinicen odontiatricam cum dentium et extrahendorum et plumbandorum exercitationibus* moderabitur quinquiens per hebd. h. IX—XI, *b) cursum odontiatricum technico-practicum* instituet quinquiens per hebd. h. IX—XII et III—V, *c) cursum odontiatricum practicum* medicinae studiosis offert die Veneris h. XI ad XII et dimid.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice historiam oeconomiae politicae* delineabit semel per hebd. die Merc. h. IX; 2) *privatim oeconomiam politicam* docebit quater per hebd. diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

FRANCISCUS AEMILIUS MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., insituti mathematico-physici director, Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice repetitorium et examinatorium de rebus physices experimentalis* instituet die Sat. h. VIII; 2) *privatim physices experimentalis primam partem spectantem ad phaenomena mechanicae et lucis* quinquiens h. VIII; 3) *privatissime exercitationes physicas practicas* una cum Feussnero prof. moderabitur h. II—V quaternis diebus.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammaticae comparatae et philologiae Teutonicae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice a) elementa linguae sanscritae* diebus Lun. Mercur.

Veneris h. VIII docebit, *b) scriptores indicos* interpretandos hora adhuc definienda proponet; 2) *privatim linguarum indogermanicarum phonologiam comparatione grammatica illustrabit* quinquiens h. IX; 3) *privatissime et gratis persicam linguam* dieb. Mart. et Iovis h. VIII docebit.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, phil. Dr. et P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, scholas non habebit.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et litterarum recent. P. P. O., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice seminarii Romanico-Anglici exercitationes* moderabitur bis per hebd. h. XI; 2) *privatim scaenicae poesis apud Gallos historiam* tradet quater per hebd. h. X; 3) *privatissime exercitationes palaeographicas* moderabitur binis per hebd. scholis.

MAXIMILIANUS BAUER, phil. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineralogici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim a) petrographicam cum excursionibus* tractabit ter per hebd. diebus Lunae Mercurii Veneris h. X, *b) physicen et chemiam mineralium* bis per hebd. diebus Martis et Iovis h. X; 2) *privatissime a) exercitationes mineralogicas* habebit die Lunae h. II—IV, *b) exercitationes crystallographicas* die Iovis h. II—IV.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice repetitorium de chemia anorganica et organica* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a) chemiae experimentalis partem primam, i. e. chemiam anorganicam* sexiens tradet per hebd. h. IX, *b) exercitationes practicas in laboratorio chemico* habebit cottidie ab h. VIII ad h. V.

HERMANNUS COHEN, phil. Dr. et P. P. O., 1) *privatim historiam philosophiae antiquae* tradet quaternis per hebd. horis; 2) *publice exercitationes philosophicas* binis horis per hebd. *(de doctrina idearum in Platonis dialogis)* habebit.

THEOBALDUS FISCHER, phil. Dr., geographiae P. P. O., coronae Italicae ordinis centurio, 1) *privatim geographiam Germaniae* tradet quinquiens per hebd. h. XI; 2) *privatissime et gratis exercitationes geographicas* moderari perget die Iovis h. VI.

HERMANNUS PAASCHE, phil. Dr., oeconomiae politicae P. P. O., 1) *publice doctrinarum socialismi et communismi historiam* adumbrabit die Mercurii h. VI; 2) *privatim oeconomiae publicae partem theoreticam* tradet quater per hebd. h. IX.

GOSWINUS BARO DE ROPP, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, philosophorum ordinis h. a. decanus, 1) *publice exercitationes* seminarii historici moderabitur die Veneris h. VI—VIII; 2) *privatim a) historiae medii aevi partem alteram* diebus Lunae Martis Iovis h. IV, *b) historiam Francogallicam* diebus Lunae et Iovis h. V enarrabit.

BENEDICTUS NIESE, phil. Dr., historiae antiquae et philologiae P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice* seminarii historici *exercitationibus* praeesse perget die Mercurii h. VI—VIII; 2) *privatim a) res antiquorum populorum ab historiae primordiis usque ad Romani imperii exitum* tradet diebus Mart. Iov. Vener. h. VIII, *b) Taciti annalium librum XIII* interpretabitur diebus Lunae et Mercurii h. VIII.

ERNESTUS SCHMIDT, phil. Dr., chemiae pharmac. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice rationes explorationis medicamentorum* docebit die Veneris h. IV; 2) *privatim chemiae experimentalis partem primam* docebit sexiens per hebd. h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas* in laboratorio pharmaceutico-chemico moderabitur cottidie.

FRID. HENR. EMANUEL KAYSER, phil. Dr., geologiae P. P. O., instituti geologici palaeontologici director, 1) *privatim geologiam generalem* leget dieb. Mart. Iov. Ven. Sat. h. XI; 2) *publice de Hassiae constitutione geologica* disseret adiunctis excursionibus die Ven. h. III; 3) *privatissime et gratis exercitationes palaeontologicas* instituet horis postmodo definiendis.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in proseminario philologo *Lucanum* interpretandum proponet, reliquas *exercitationes* adiunget diebus Lunae et Iovis h. VI; 2) *privatim a) de philologia universa disputabit, artes criticam et hermeneuticam* tradet scholis binis h. IX, *b) litterarum Romanarum historiae partem primam quae tendit usque ad mortem Ciceronis* enarrabit scholis quaternis h. IX.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., archaeologiae et historiae artis P. P. O., 1) *publice artis plastices graecae monumenta gypso expressa* interpretabitur d. Mercurii h. III; 2) *privatim historiam artis plastices graecae* tradet diebus Martis Iovis Veneris h. X; 3) *privatissime et gratis exercitationes archaeologicas* moderabitur d. Lunae h. X.

EDUARDUS SCHROEDER, phil. Dr., Theodiscarum linguarum et litterarum P. P. O., seminarii Germanici director, 1) *publice* seminarii Germanici sodalibus *selecta Nibelungiadis capita* interpretanda proponet die Sat. h. XI—I; 2) *privatim a) de Nibelungiadis fabula et compositione* disseret ter p. hebd. h. XII, *b) grammaticam linguae saxonicae mediae aetatis* docebit et in cognoscendos *scriptores saxonicos* introducet bis p. hebd. h. VIII.

GEORGIUS WISSOWA, phil. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* seminarii philologi sodalibus *Antiphontis de choreuta orationem* interpretandam proponet reliquasque *exercitationes* moderabitur die Lunae h. VI et VII; 2) *privatim a) praefatus de veterum re libraria palaeographiam graecam et latinam* docebit diebus Lunae Mercurii Veneris h. X, *b) tragoediae graecae compositionem inlustrabit et cantica Sophoclis selecta* interpretabitur diebus Martis et Iovis h. X.

ARTHURUS MEYER, phil. Dr., botanices pharmacognosiaeque P. P. O., horti botanici et instituti botanici pharmacognosticique director, 1) *publice demonstrationes botanicas in horto botanico* instituet die Veneris h. III; 2) *privatim botanicen generalem* docebit quinquiens per hebd. h. VII; 3) *privatissime a) exercitationes botanicas* moderabitur die Mercurii h. II et dim. ad V, *b) exercitationes in explorandis nutrimentis microscopicas* instituet die Mercurii h. II et dim. ad V, *c) disquisitiones botanicas* in laboratorio botanico moderabitur cottidie.

FRIDERICUS SCHOTTKY, phil. Dr., matheseos P. P. O., seminarii mathematici director, 1) *publice exercitationes* seminarii mathematici moderabitur die Mart. h. V—VII; 2) *privatim a) de serie Tayloriana* disseret diebus Lunae et Iovis h. VIII, *b) functionum ellipticarum theoriam* tradet quinquiens per hebd. h. IX.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., matheseos P. P. O., seminarii mathematici director, 1) *publice* seminarii mathematici sodalium *exercitationes* moderabitur die Sat. h. VIII—X; 2) *privatim a) calculum differentialem* tradet quinis scholis h. XI, *b) selecta geometriae capita* tractabit ter per hebd. h. X.

EUGENIUS KORSCHELT, phil. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, 1) *publice colloquium zoologicum* instituet semel per hebd. h. VI—VIII; 2) *privatim a) de animalibus parasiticis hominis* disseret bis per hebd., *b) generationem et evolutionem animalium* demonstrabit bis per hebd., *c) tironibus et rerum naturalium et medicinae studiosis cursum zoologicum* offert diebus binis (Lun. et Mart.) h. II—IV, *d) provectiorum exercitationibus zoologicis* praeerit cottidie.

ALBERTUS NAUDÉ, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice exercitationes* seminarii historici *de saeculi XVI historia* instituet die Martis h. VI—VIII; 2) *privatim res in Europa saeculo XVI gestas* enarrabit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI.

PAULUS NATORP, phil. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur binis per hebd. horis; 2) *privatim propaedeuticen philosophicam* docebit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., matheseos P. P. E., 1) *publice de temporis mensuratione et de horologiis* disseret semel per hebd. hora posthac definienda; 2) *privatim a) theoriam sectionum conicarum* tradet bis per hebd. h. VII, *b) artium quas graphicas dicunt historiam* enarrabit ternis scholis h. VII.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., physices P. P. E., 1) *publice* disseret *de diffractione luminis* semel per hebd. h. IX; 2) *privatim physices theoreticae partem primam* quater h. IX docebit; 3) *de exercitationibus physicis privatissime* moderandis conf. quae Melde prof. indixit.

GUILELMUS VIETOR, phil. Dr., philologiae Anglicae P. P. E., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice exercitationes* seminarii Romanico-Anglici moderabitur bis per hebd. h. XI; 2) *privatim a) de fabulis epicis apud Anglos nostra aetate soluta oratione compositis* disseret bis per hebd. h. IX, *b) antiquissima monumenta linguae Anglicae* interpretabitur bis per hebd. h. IX.

FRIDERICUS BERNHARDUS FITTICA, phil. Dr., chemiae P. P. E., 1) *publice chemiae historiae partem secundam* semel per hebd. ennarrabit; 2) *privatim chemiam toxicologicam* bis docebit.

FRIDERICUS GEORGIUS KOHL, phil. Dr., botanices P. P. E., 1) *publice plantas usuarias illustrabit* semel per hebd.; 2) *privatim a) pteridophytorum bryophytorumque naturalem historiam* docebit semel per hebd., *b) plantas officinales* demonstrabit et *exercitationibus* praeerit bis per hebd.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., physices P. P. E., 1) *publice commentationes recentiores ad physices theoriam* pertinentes commilitonibus legendas proponet; 2) *privatim a) doctrinam mathematicam de sono* tradet ternis horis h. IX, *b) de subsidiis scientiae physicae chemicaeque et per calculum et per scribendi delineandique rationes parandis* disseret bis per hebd.

ALBERTUS KOESTER, phil. Dr., rec. litterarum linguaeque Theodiscarum P. P. E., seminarii Germanici director, 1) *privatim litteraturae quae floruit ab Opitii temporibus usque ad aetatem Gottschedianam Germanicae historiam* enarrabit quater per hebd. h. XII; 2) *publice a) Buergeri Goethii Schilleri selecta carmina* praeleget d. Merc. h. V, *b)* in seminario Germanico *litterarum recentiorum exercitationes* moderabitur *metricas* d. Merc. h. XI—I

PETRUS IENSEN, phil. Dr., litterarum orientalium P. P. E., 1) *publice librum Arabicum Muʿallakāt* interpretabitur diebus Lunae et Iovis h. XII; 2) *privatim a) Genesin* explicabit quaternis diebus h. XI, *b) elementa linguae Aethiopicae* tradet diebus Martis et Veneris h. XII, *c) litterarum cuneatarum partem quamlibet* tractabit tempore posthac definiendo.

GUILELMUS SCHULZE, phil. Dr., philologiae P. P. E., seminarii philologi director, 1) *publice a)* seminarii philologi sodalibus *Martialis epigrammata* interpretanda proponet reliquasque *exercitationes* moderabitur die Iovis h. VI et VII, *b) de epigrammatis graecis lapidibus insculptis* disseret binis horis postea definiendis; 2) *privatim Thucydidem* interpretabitur diebus Lunae Martis Iovis h. XI.

EDUARDUS STUDY, phil. Dr., matheseos P. P. E., scholas non habebit.

CAROLUS RATHGEN, rer. pol. Dr., scient. politic. P. P. E., 1) *publice de populatione, de migrationibus et de deducendis coloniis* disseret die Martis h. VI; 2) *privatim redituum publicorum doctrinam* docebit quater p. hebd. h. VIII; 3) *privatissime et gratis exercitationes oeconomico-politicas* moderabitur die Iovis h. VI—VIII.

PAULUS KEHR, phil. Dr., historiae P. P. E., seminarii diplomatico-palaeographici director, 1) *publice exercitationes historicas* instituti diplomatico-palaeographici moderabitur semel p. hebd. h. v; 2) *privatim a) palaeographiam Latinam* docebit quater per hebd. h. x, *b) elementa artis diplomaticae* tradet diebus Lunae et Iovis h. IX.

BERNHARDUS RATHKE, phil. Dr., chemiae P. P. E. Halensis, *publice chemiae theoreticae partem secundam, quae est de corporum constitutione chemica* tradet bis per hebd. h. v.

GUSTAVUS KOENNECKE, phil. Dr., tabulario publico Marpurgensi praefectus, Aug. Principi a consiliis tabulariorum, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, *privatim elementa administrationis tabulariorum* tradet adiectis *exercitationibus* diebus Mart. et Vener. h. XI, Merc. et Sat. h. X—XII.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

CAROLUS WENCK, phil. Dr. et P., 1) *privatim historiam rei publicae Borussicae* enarrabit dieb. Merc. et Sat. h. x; 2) *privatissime et gratis exercitationes historicas* moderabitur semel per hebd.

IOANNES STOSCH, phil. Dr., *privatim Otfridi Wizanburgensis librum evangeliorum* interpretabitur bis per hebd.

LUDOVICUS PLATE, phil. Dr., scholas non habebit.

GUALTHERUS IUDEICH, phil. Dr., 1) *privatim res a Graecis per IV. a. Chr. n. saeculum gestas* enarrabit die Martis et Iovis h. XII; 2) *privatissime et gratis exercitationes historicas de iure Atheniensium publico* moderabitur semel per hebd.

FERDINANDUS WREDE, phil. Dr., 1) *gratis de imperii Germanici dialectis* disseret die Merc. h. x; 2) *privatim linguarum et litterarum septentrionalium elementa* docebit bis per hebd.

FRIDERICUS GUILELMUS KUESTER, phil. Dr., *privatim de chemia physicali et theoretica* disseret ter per hebd.

ALBERTUS DIETERICH, phil. Dr., 1) *privatim de poetis Alexandrinis* disseret *versusque selectos* interpretabitur bis per hebd.; 2) *privatissime et gratis latine et loqui et scribere* docebit tirones semel per hebd.

ALFREDUS PARTHEIL, phil. Dr., 1) *gratis analysin volumetricam* tractabit semel per hebd.; 2) *privatim chemiae partem organicam atque anorganicam* examinans imprimis pharmaciae studiosos docebit horis per hebd. quaternis posthac definiendis; 3) *privatissime* una cum Ernesto Schmidt prof. *exercitationes practicas de nutrimentorum humanorum exploratione* in laboratorio pharmaceutico-chemico moderabitur cottidie.

PAULUS FRITSCH, phil. Dr., *privatim de pigmentis picis concinnandis atque adhibendis disputabit* bis per hebd.

4. LECTORUM.

GUILELMUS TILLEY, linguae Anglicae lector, 1) *gratis a) linguae Anglicae phonologiam* docebit Anglice semel per hebd., *b) exercitationes Anglicas spectantes ad linguam pronuntiandam legendam scribendam* moderabitur quater per hebd.

CAROLUS DOUTREPONT, phil. Dr., linguae Francogallicae lector, *gratis a) litterarum francogallicarum per XVIII saeculum historiam* tradet sermone gallico usus, *b) exercitationes linguae gallicae*, quali nunc utuntur, instituet.

RICARDUS BARTH, professor, concentuum musicorum director, *gratis a) artem harmonicam* docebit *exercitationesque* addet binis per hebd. horis, *b) capita e musicae artis historia selecta* tradet singulis per hebd. horis.

FR. SCHUERMANN, *delineandi et pingendi artem* docebit, atque *doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam* semel gratis tradet.

Nec minus praesto sunt qui equitandi artem et armorum usum doceant.